DE

LOCRIS OPUNTIIS

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

DE

LOCRIS OPUNTIIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

P. GIRARD

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS
GALLICÆ QUÆ EST ATHENIS SCHOLÆ NUPER SOCIUS.



PARISIIS
APUD ERNEST THORIN EDITOREM
7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

—

MDCCCLXXXI

PATRI

ET

MATRIS MEMORIÆ

D. D. D.

PROŒMIUM

« Tres sunt Locrorum tanquam rami, apud Stephanum Byzantinum legimus, sub verbo 'Οζόλαι : Epicnemidii, iidem nempe atque Opuntii ; quorum in regione natus est Ajax ; Epizephyrii atque Ozolæ (1). »

Qui quidem rami facile alii ab aliis distinguuntur. Epizephyrii enim in Italia meridionali agrum Zephyrii promontorii vicinum obtinebant; Ozolæ in septentrionali Græcia Crissæi sinus ripas totumque adjacens littus, etiam ultra Naupactum, incolebant; Opuntii denique, sive Epicnemidii, secundum Euripum, ab ostio Cephisi usque ad Thermopylas, extendebantur. De his tantum disseremus.

Qui, si Stephano Byzantino fidimus, Opuntii atque Epicnemidii pariter appellati fuisse videntur. Erat tamen inter Opuntios et Epicnemidios discrimen. Tempus enim quoddam Strabo memorat, quo, septentrionem versus, Opuntiorum ager non ultra urbem Alopen porrigebatur. Post Alopen vero, Daphnus occurrebat, quod Phocen-

(1) Cf. schol. Thuc., III, 89, 3.

sium erat oppidum, tum Epicnemidiorum regio : ita duæ Locrides erant altera ab altera separatæ (1). At Opus, quam Opuntiis Strabo metropolim assignat (2), ab eodem scriptore alio loco Epicnemidiis metropolis datur (3). Epicnemidiorum quoque urbem Plinius Stephanusque Byzantinus eam vocant (4).

E quibus testimoniis atque ex aliis quæ in hac disceptatione passim proferentur, conjicere licet Opuntiorum et Epicnemidiorum nomina duas gentes designavisse, sed inter se illas gentes mature fuisse conjunctas, quanquam utriusque agri finitimi esse aliquando desierunt; inde veterum scriptorum loca inter se specie discrepantia. Locri autem circum Opuntem habitantes Opuntii potissimum erant dicti, aut his verbis sæpe notati, Λοκροὶ οἱ ἐπὶ Ἀταλάντῃ τῇ νήσῳ, Atalantes insulæ memoria, contra urbem Opuntem sitæ (5); Locri vero sub monte Cnemide, ultra Daphnunta, sparsi Epicnemidii (6) vel Hypocnemidii (7) proprie dicebantur. Verum utrique, Λοκροὶ πρὸς Εὔβοιαν (8) pariter appellati, aut πέραν Εὐβοίας (9), Λοκροὶ Ἠῷοι (10), ut ab Ozolis discernerentur, quibus Λοκροὶ

(1) Strab., ed. Meineke, coll. Teubner, IX, 424-425.

(2) Id., IX, 425.

(3) Id., IX, 416.

(4) Plin., *Hist. nat.*, IV, 12, 3, ed. Lemaire; Steph. Byz., s. v. Ὀπόεις.

(5) Pausan., ed. Schubart, coll. Teubner, X, 20, 4.

(6) Strab., IX, 425.

(7) V. antiquissimum titulum haud procul a *Galaxidi* repertum, Οἰκονομίδης, Ἐποίκια Λοκρῶν γράμματα, p. 54. Cf. *Etym. Magn.*, s. v. Ἐπικνημίδιοι.

(8) Strab., IX, 425.

(9) Pausan., X, 8, 5.

(10) V. titulum quem E. Curtius edidit in *Denkmäler und Forschungen*, 1855, n. 75, p. 40.

Ἑσπέριοι (1) nomen erat impositum, unum populum informabant et Opunte metropoli utebantur (2). De alteris igitur si quis disserit, de alteris quoque disserat necesse est. Quod certe fecimus, etsi disceptatio de Opuntiis tantum inscripta est, quia in historia totius gentis Opus præcellit.

E variis fontibus hausimus. Erat autem apud veteres opus quoddam de Opuntiis peculiariter conscriptum, unum nempe ex illis opusculis quæ Aristoteles de præcipuis Græcorum civitatibus composuerat; quod Ὀπουντίων πολιτεία erat inscriptum. Sed ex illo nihil ad nos pervenit, nisi fragmenta quædam a Strabone, Hezychio, etc., servata (3). Alii vero scriptores, etsi de Opuntiis separatim non disseruerunt, eorum tamen historiam, instituta, mores obiter nobis tradiderunt, multaque ex Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Polybio, Diodoro, Livio, Scylace, Strabone, Pausania, scholiastis Homeri Pindarique de parva illa gente discimus.

Præterea, monumentis usi sumus. Nam tituli, quanquam paucissimi in illis regionibus inventi sunt, scriptorum testimonia mire corroborant aut explent. Deinde marmorea opera, vasa, fictiles figuræ, etiam nummi in ipso Opuntiorum agro reperti nos docent

(1) Strab., IX, 416.

(2) Aliquoties Opus Λοκρίδος μητρόπολις appellatur. V. schol. Pind., *Ol.*, IX, 86, ed. Heyne, Londini, 1824; cf. Strab., IX, 425. — De hac Opuntiorum et Epicnemidiorum connexione, v. Bœckh, *C. I. G.*, I, p. 855; cf. Allen, *De dialecto Locrensium*, apud G. Curtius, *Studien zur griech. und latein. Gramm.*, III, p. 207-210.

(3) Strab., VII, 322; Hezych., s. v. Ἄσπετος. — Secundum Diogenem Laertium, Aristoteles CLVIII Πολιτείας conscripserat. V. Diog. Laert., *Vitæ*, V, 1, 27, éd. Didot.

quænam Opuntiorum fuerint artes, quodnam ingenium.

Postremo et ipsa loca, anno 1877, invisimus, et Opuntios atque Epicnemidios usque ad Thermopylas perlustravimus; in qua peregrinatione antiquarum urbium situs notavimus, titulos nuper effossos transcripsimus, cuncta denique monumenta inspeximus, quæ quotidianus paganorum labor in lucem proferre solet. Ita, cum viatores quidam, Leake (1), Forchhammer (2), Ulrichs (3), Ludwig Ross (4), illas regiones jam peragraverint, nonnulla etiam colligere potuimus, quæ adhuc aut incognita aut parum cognita erant, quæque Opuntiorum historiæ nova documenta suppetunt.

Quare, e scriptorum testimoniis, monumentis, locorum memoria restituere illum populum tentavimus, qui in universæ Græciæ annalibus primas partes nunquam obtinuit, apparet tamen peculiari præditus indole in magna Græcorum quasi familia, cujus pars haud contemnenda est. Quanquam, Atheniensium humanitas, Lacedæmoniorum ferox animus ac militaris institutio multa nos magis alliciunt. Sed, post magnas illas civitates, sunt aliæ humiliores, quarum fabulæ, leges, mores minime sunt negligendi. Hæc in mente habentes, ea, quæ sequuntur, conscripsimus, non sine jucunda quadam recentis itineris ac laboris recordatione.

(1) *Travels in Northern Greece*, II, p. 169 sqq.

(2) *Hellenika*, p. 11-12.

(3) *Reisen und Forschungen in Griechenland*, I, p. 227 sqq.

(4) *Reisen des Königs Otto*, I, p. 93 sqq; II, p. 134 sqq.

DE

LOCRIS OPUNTIIS

PARS PRIOR

CAPUT I.

DE REBUS OPUNTIORUM.

I. — *Tempora fabulosa.*

Difficile est, ante quintum seculum, perspicere quænam fuerit Opuntiorum historia, tanta obscuritate illius populi res involutæ nobis apparent.

Si Aristoteli credimus, Leleges primum opuntium agrum incoluerunt (1). Neminem autem fugit quam incerta sint ea quæ de antiquissimis illis gentibus, Lelegibus, Pelasgis, Curetibus, Cauconibus, Telchinibus,

(1) Aristot., ap. Strab., VII, 322.

Telebois, etc., nobis sunt tradita : quorum et indolem et facta pariter ignoramus, neque scimus certe aut quas Græciæ partes habitaverint, aut quamdiu in iis regionibus quas tenuerunt, permanserint. Sed hæc disputandi non est locus (1) : id tantum pro comperto habeamus, Leleges primos opuntiæ regionis incolas extitisse; ita saltem censet Aristoteles in nonnullis ex iis opusculis quæ de legibus præcipuarum Græciæ civitatum conscripsit; cujus testimonium ab Hesiodo (2) et Stephano Byzantino (3) confirmatur.

Quod si ad veterrimas Opuntiorum fabulas respicimus, primum nobis diluvium illud occurrit a Deucalione Pyrrhaque illustratum. Cum enim aqua jam recederet, arca in quam se Deucalion cum conjuge receperat, in monte Othry, ut nonnulli volunt (4), aut in Atho, si quibusdam est fidendum (5), secundum autem plerosque, in Parnasso constitit (6). Inde Deucalion opuntiam regionem, imo ipsam Opuntem, si Pindari scholiastæ credimus (7), petiit, aut, si Apollodorum sequimur, Cynum, in Opuntis portum, se contulit (8). Strabo vero, cum

(1) De Lelegibus, v. Grote, *Histoire de la Grèce*, trad. de Sadous, III, p. 165 sqq., et opera quorum indicationem dat Hermann, *Lehrbuch der griechischen Antiquitäten*, I (1875), § 6, 13.

(2) Ap. Strab., VII, 322.

(3) S. v. Φύσκος.

(4) Hellanic., in opere hodie deperdito, quod inscriptum erat Δευκαλιωνεία. V. Hellanic. fragm., 16, in *Fragm. historic. græcor.*, ed. Didot, I, p. 48.

(5) Serv., *In Virgil. Bucol.*, VI, 41.

(6) Pind., *Ol.*, IX, 66, et schol. in v. 64; Apollod., I, 7, 2; Ovid., *Metam.*, I, 316 sqq.; Serv., *In Virgil. Bucol.*, VI, 41.

(7) Schol. Pind., *Ol.*, IX, 64.

(8) Ibid.

his consentiens, dicit se Cyni Pyrrhæ sepulcrum vidisse, cum Athenis sepultus esset Deucalion (1). Quidquid id est, in opuntia terra, Jovis jussu, Deucalion et Pyrrha lapideam illam segetem conseverunt, qua renovatum est genus humanum; hinc dura quædam ac robusta progenies evasit, quæ, cum nata esset ex lapide (λᾶας), Λαοί est appellata (2).

Hellanicus vero ait Deucalionem in Thessalia regnavisse : quæ fabula cum ejusdem opinione maxime congruat, Deucalionem scilicet atque Pyrrham ad Othryn appulisse (3). Tradit autem alia fama, posterius sine dubio vulgata, Curetum et Lelegum auxilio Deucalionem Thessalia potitum esse, expulsis Pelasgis, atque omnem regionem occupavisse quæ Phthiotis postea est denominata (4) : quod cum fama ab Apollodoro tradita satis consentaneum sit, cum is Deucalionem, ante diluvium, Phthiæ regnum obtinuisse contendat (5).

Sed jam omittamus omnes illas fabulas inter se contrarias : hoc tantum notemus, nomen Deucalionis cum vocabulis Opunte ac Cyno arcte fuisse conjunctum et apud Opuntios, secundum famam plurimum auctoritatis habentem, ab antiquis Λαοῖς restitutum fuisse genus humanum (6).

Deucalion vero et Pyrrha Hellenem, ut aiunt, atque

(1) Strab., IX, 425. Cf. schol. in Theocr., *Idyll.*, XV, 141.
(2) Pind., *Ol.*, IX, 70, 71, et schol. in v. 68 ; Apollod., I, 7, 2.
(3) Hellanic. fragm., 15 ; schol. in Theocr., *Idyll.*, XV, 141.
(4) Dion. Halic., I, 17.
(5) Apollod., I, 7, 2.
(6) De fabula Deucalionis ac Pyrrhæ, v. Grote, *op. cit.*, I, p. 113 sqq ; Preller, *Griechische Mythologie*, I (1872), p. 65 sqq.

Amphictyonem filiamque Protogeniam pepererunt (1). Notus est autem Hellen, quem ab Jove ortum esse nonnulli tradunt, quemque tota gens græca ἐπώνυμον sibi vindicat. Sed Amphictyo ejusque posteri magis nobis curæ sunt, propter cognationem quam cum Opuntiis habuere. Ex Amphictyone enim atque Chtonopatra natus est filius, Physcus vel Physcius (2), qui in opuntia regione regnavit, quod quidem verisimile est, cum proditum sit filium ejus Locrum ac nepotem Opuntem post eum ibidem regnavisse (3). Qui Locrus, Physci nempe et Cabyæ soboles (4), ἐπώνυμος Locris extitit. Ab Hesiodo autem exhibetur ut dux Lelegum qui, poetæ etiam tempore, opuntium agrum incolebant (5); et, cum Deucalionis stirpe jam oriundus esset, his quoque vinculis astricta est ejus cum Prometheos filio affinitas.

Scilicet Deucalionis Pyrrhæque filia, Protogenia, filium ex Jove conceperat, qui Aethlius erat appellatus (6). Bœckh autem credit ex eadem alterum filium ortum esse, qui Opus dictus fuerit (7). Ex quo, apud Eleos reg-

(1) Apollod., I, 7, 2.

(2) Eustath., *In Il.*, p. 277. Stephanus autem Byzantinus, s. v. Φύσκος, ait Physcum nepotem Amphictyonis fuisse, filium vero Ætolum.

(3) Eustath., *loc. cit.* : ... πρὸς ὃν (Ὀποῦντα) διενεχθεὶς ὁ πατὴρ Λοκρὸς ἐᾷ μὲν ἄρχειν ἐκεῖνον, αὐτὸς δὲ οἰκεῖ τὰ πρὸς ἑσπέραν τοῦ Παρνασσοῦ...

(4) Plut., *Quæst. græc.*, 15. Qui contendit hunc Locrum, Cabyæ filium, alterum quemdam Locrum, Physco genitum, patrem habuisse. Secundum vero aliam fabulam, Locrus, ex Jove Mæraque natus, Amphionis ac Zethi comes fuerat, quibuscum Thebas condiderat. V. schol. in *Odyss.*, XI, 326, ed. Dindorf, Oxonii, 1855.

(5) Hesiod., ap. Strab., VII, 322.

(6) Apollod., I, 7, 2.

(7) V. explicationes ad *Ol.* IX, 41, apud Dissen et Schneidewin, *Pindari carmina*, sect. II, comment., Gothæ, 1847.

nante, filia nascitur, quæ Protogenia, sicut avia, aut, ut Aristoteles affirmat, Cambyse nominata est (1). Quæ, ab Jove quodam die rapta, in Mænalo, monte Arcadiæ, a deo compressa fuit; deinde eam Locro Jupiter uxorem dedit, ne filius, quem in utero gestabat, ipsi attribueretur. Locrus vero, prioris Opuntis memoriam veneratus, Opuntem puerum vocavit (2). Inde Opuntis nomen Locrorum urbi impositum est; inde etiam Pindarus Opuntem urbem Protogeniæ appellat, non Deucalionis Pyrrhæque filiam, sed alteram Protogeniam, ex priore Opunte natam, recordatus (3).

Quorsum igitur hæc? Nempe ut appareat insignis Opuntiorum origo et manifestum sit Deucalionem, Pyrrham, Hellenem, Locrum, Opuntem, tot tamque illustria nomina non ad Opuntiorum modo sed ad omnium Græcorum historiam pertinentia, in exigua illa regione primum inclaruisse.

Verum aliæ quoque fabulæ occurrunt, quibus illius gentis exornantur initia. Opuntii enim et Epicnemidii Herculis prœliis interfuisse se aiebant, quo tempore, Peloponneso relicta, heros in Ætoliam ad Calydonios se receperat, ibique uxorem Deianiram duxerat (4). Tum paulo post eum cum Epicnemidiorum exercitu adversus regem Eurytum bellantem videmus, atque urbem Œchaliam expugnantem (5). Cum autem aggrederetur equas

(1) Schol. Pind., *Ol.*, IX, 86.
(2) Pind., *Ol.*, IX, 96.
(3) Id., ibid., 63-64.
(4) Diod. Sic., IV, 34, 1; Apollod., II, 7, 5.
(5) Apollod., II, 7, 7.

Diomedis, Bistonum regis, surripere, Opuntium quemdam comitem habebat, nomine Abderum, Mercurii filium : qui cum equabus discerptus periisset, in honorem ejus Abderam condidit (1). Nec multum aberat a Locris Œta illa in qua Hercules effuderat animam. Itaque, cum igne consumptus est, aut postquam Jupiter flammis eum exemit, ut inter immortales collocaret, primi illum Locri numinis instar coluerunt, ac Menœtius, quocum amicitia junctus fuerat, solennia deo sacrificia in opuntia civitate instituit (2). Quod superest, in tota regione Herculis vigebat memoria. Namque herois cum Trachinio Ceyce amicitia, bellaque gesta adversus Dryopes et Cycnum et Diomedem, tum Œchaliæ expugnatio Locrorum fines Herculis nomine famaque impleverant (3). Quin, et contra littus opuntium, in Eubœa insula, prope Ædepsum, nonne vidit Strabo calidos fontes Herculis balnea ab incolis loci dictos (4)? Qui etiam nunc extant et salubres undas ægris suppeditant.

Quod si, omissis antiquissimis illis fabulis, ad trojanam expeditionem transieris, et hic Opuntios invenies. Nam Opuntius erat Patroclus. Cujus pater Menœtius, Actoris filius Iasonísque comes (5), multos annos priusquam indiceretur Priamo bellum, Opuntem migraverat (6). Ex Opunte igitur Patroclus adolescens, cum im-

(1) Apollod., II, 5, 8.

(2) Diod. Sic., IV, 39, 1.

(3) Cf., de fabulis ad Herculem pertinentibus quæ in Œta vicinisque regionibus informatæ sunt, Preller, *op. cit.*, II (1875), p. 246 sqq.

(4) Strab., IX, 425. Cf. similes ad Thermopylas fontes, IX, 428.

(5) Apollod., I, 9, 16.

(6) Schol. in *Il.*, XVI, 14, ed. Bekker, Berolini, 1825.

prudenter unum ex sodalibus, Clysonymum, Amphidamantis filium, occidisset, ad Pelea confugit (1). Ibi a Chirone institutus, Achilli amico et commilitone usus est; qui, cum in eo esset ut Trojam peteret, Opuntem venit ac Menœtio pollicitus est se filium incolumem esse reducturum (2).

Erat et alter Locrus inter duces ad Trojam congregatos, Ajax nempe, Oilei filius. Hic patriam habebat Narycem, Opuntiorum urbem (3), aut Thronium, Epicnemidiorum oppidum (4). Matri vero, ut quidam volunt, Eriope, secundum alios Alcimache nomen erat (5). Præerat autem, cum Medone fratre (6), quadraginta navibus (7), quas conscenderat levis armatura (8). Ex omnibus Græcorum ducibus, atrocissimam homericæ fortitudinis nobis præbet imaginem : posthomerici enim poetæ procerum eum fingunt, strabonem, cum adusta facie nigrisque crinibus (9). Quo modo vim Cassandræ intulerit, nemo est qui nesciat. Quod artifices libenter expresserunt : testis est arca Cypseli (10), testis et attica Pœcile et Lesche delphica, in qua Polygnotus miseræ

(1) *Il.*, XXIII, 86; schol. in *Il.*, XII, 1; Strab., IX, 425; Apollod., III, 13, 8; Ovid., *Pont.*, I, 3, 73.

(2) *Il.*, XVIII, 325. Cf. Æschin., *Contra Timarchum*, 143; Strab., IX, 425.

(3) Diod. Sic., XIV, 82, 8; Steph. Byz., s. v. Νάρυξ.

(4) Eurip., *Iphig. A.*, 261 sqq.

(5) Schol. in *Il.*, XV, 336.

(6) *Il.*, II, 727.

(7) *Il.*, II, 534.

(8) *Il.*, XIII, 714 sqq.

(9) Tzetz., *Posthom.*, 664.

(10) Pausan., V, 19, 5.

Troadis infortunium pinxerat (1). Postquam autem Ajax e Gyris saxis in mare præcipitatus est, ut Homerus narrat (2), aut prope Capharea promontorium fluctibus fuit immersus, ut cyclici ferunt scriptores Virgiliusque (3), non desiit Locros Minervæ ira lacessere, sed, ut Cassandræ lueretur injuria, jussi sunt Ilium duas virgines quotannis mittere, quæ deæ famularentur (4). Strabo vero ait antiquam hanc consuetudinem, quo tempore Persæ in Asia Minore dominarentur, etiam extitisse (5).

Hæ sunt præcipuæ illorum temporum fabulæ. In qua ætate plurimæ ab Opuntiis coloniæ deductæ sunt. Sed de antiquis illis migrationibus pauca novimus. Ab origine tamen videmus Locros bellicosos fuisse ac dominationis avidos. Nam in *Herculis Scuto*, quod Hesiodo falso tribuitur, legimus eos, Amphitryone duce, bellum adversus Taphios atque Teleboas gessisse (6). Postea vero, ex numero navium quas Trojam miserunt, conjicere licet quantum armis tum viguerint.

Sed colonos primum receperunt; deinde ipsi, ut videtur, miserunt. Advenis enim quibusdam alludit Pindarus, qui, regnante Locro, Opuntem venere, Argis, Thebis oriundi, aut Pisæ, in Elidis oppido, aut in Arcadia nati : inter quos erat Menœtius, quem be-

(1) Pausan., I, 15, 2; X, 26, 3.

(2) *Odyss.*, IV, 498 sqq.

(3) Virg., *Æn.*, XI, 260.

(4) Plut., *De sera num. vind.*, 12; Ælian. fragm., 177, ed. Didot; Iambl., *Pyth. vit.*, VIII, 42.

(5) Strab., XIII, 600-601.

(6) Hesiod., *Scut. Herculis*, 25.

nigne Locrus excepit, quoque familiariter usus est (1).

Quodcumque de pacifica illa regionis occupatione censere oportet, iisdem ferme temporibus condita est Ozolarum colonia. Ita nempe ex veteribus fabulis discimus. Cum Locrus et Opus in domesticam quamdam dissensionem incidissent, a regno pater se abdicavit, collectisque sociis, regionem petiit quæ sub Parnasso, ad occasum solis, sita est. Sed Apollinem antea Delphis consuluerat, eique responderat Pythia urbem in hoc loco ædificandam esse, in quo lignea cane morsus esset. Cum igitur cynosbaton calcavisset, oraculum impletum ratus, Physcum aut Physces, Hyantheam aliasque Ozolarum urbes condidit (2). Nec multo post, sine dubio, novi in his locis constiterunt coloni, et Andræmon quidam Amphissam extruxit, ita e montibus quibus circumcincta erat, appellatam (3). Ozolarum autem cognomen alii alio modo apud antiquos interpretabantur : quidam enim e Nesso, quidam e Pythone Locros ita dictos contendebant, cum centauri serpentisque cadavera, mediis de fluctibus rejecta et in tabem dilapsa, aera quondam corrupissent; inde Ozolas, id est graveolentes, incolas vocatos fuisse. Alii vero pelles male tersas incusabant, quibus indigenæ

(1) Pind., *Ol.*, IX, 104 sqq. Quod confirmatur ab Homeri scholiasta, apud quem hoc de Menœtio legere est, in *Il.*, XVI, 14 : Μενοίτιος δὲ ἀποικήσας εἰς Ὀποῦντα Πάτροκλον ἐτέκνωσεν.

(2) Plut., *Quæst. græc.*, 15 ; Didym., ap. Athen., II, p. 70 c ; Eustath., *In Il.*, p. 277 ; Steph. Byz., s. v. Φύσχος. Ait Plutarchus Locrum hunc Physci vel Physcii filium, patremque alterius Locri fuisse, a quo dissentiens, Opuntem fugerit atque Ozolas condiderit. At Eustathius contra Locrum a quo instituta est Ozolarum colonia, filium habuisse tradit nomine Opuntem. Quidquid id est, Ozolarum οἰκιστής Locrus erat appellatus.

(3) Aristot., ap. Harpocr., s. v. Ἄμφισσα.

erant vestiti. At nonnulli, aut acutiore quodam ingenio, aut nimia erga patriam caritate præditi, sicut Archytas Amphissensis, nomen hoc asserebant ex innumeris floribus fictum, quibus tota, ut fama est, regio erat distincta (1). Et Occidui Locri Ozolæ dicebantur, quo facilius discernerentur ab iis qui ultra Parnassum, ad orientem versi, habitabant (2). Ozolarum autem maxima oppida erant Amphissa atque Naupactus (3).

Recentior est Epizephyriorum colonia, neque, si Straboni credimus, ante Crotonam Syracusasque conditas formata, quo fit ut primis septimi seculi annis constituta sit (4). Idem Epizephyrios ab Ozolis deductos ait et οἰκιστήν Euanthem quemdam habuisse, cujus nomen Hyanthea urbs refert. Aliter vero censet Ephorus, qui Epizephyrios Opuntiis colonos addicit (5). Quam opinionem Pausanias quoque sequi videtur, cum narrat Epizephyrios in prœliis Ajacem, Opuntiorum more, invocare solitos (6). Quare, et apud antiquos incertam fuisse Epizephyriorum originem videmus : unde Scymnus Chius utramque opinionem indicat, sed alteram tamen fatetur magis vulgatam esse, ab Opuntiis scilicet Epizephyrios esse deductos (7). Id autem verisimile est, Opuntios simul atque Ozolas italicam coloniam informavisse. For-

(1) Plut., *Quæst. græc.*, 15. V. et has explicationes et alias apud Pausaniam, X, 38, 1-4.

(2) Eustath., *In Il.*, p. 277.

(3) Strab., IX, 426.

(4) Id., VI, 259.

(5) Ap. Strab., VI, 259.

(6) Pausan., III, 19, 12.

(7) Scymn. Ch., 316.

san et Epizephyrii Opuntiorum coloni habebantur, quia Opuntii arctissime cum Ozolis erant conjuncti, qui coloniam Epizephyriorum condiderant (1). Illi vero, circa Zephyrium promontorium sparsi, inde cognomen sibi paravere; alii ex littoribus zephyro expositis ita denominatos fuisse aiunt (2). Quorum opes atque potentiam nemo est qui ignoret, nec famam illius Zaleuci, quo legumlatore usi sunt, quique scriptas leges primus edidit.

Et illis temporibus alii quoque coloni Opuntem reliquerunt. Qua enim ætate Strabo Græciam peragrabat, Opuntii Elidem incolebant (3). In Elide autem minorem Protogeniam ab Jove raptam esse supra diximus. Quæ fabula, cum Strabonis dictis collata, testari videtur antiquissimam Opuntiorum coloniam apud Eleos extitisse. Quin, et Alope, Phthiotidis oppidum, cum Epicnemidiorum Alope similibus forsan vinculis erat conjuncta (4). Nec non et in Asia Minore, contra Lesbum, urbis Canarum Strabo mentionem facit ut Cyni Opuntiorum coloniæ (5). Tum denique Ceos insula Opuntios videtur antiquitus recepisse. Cum enim colonia Naupacti esset, nec multo post Ozolas conditos informata (6), cum Opuntiis amicitiam retinuit quam persici belli tempore utraque gens etiam tuebatur : in pugna nempe ad Artemisium com-

(1) De Epizephyriorum origine et *Centum gentibus* quæ optimatum quemdam ordinem a principio apud illos composuerunt, v. Polyb., XII, 5 sqq.

(2) Strab., VI, 259.

(3) Id., IX, 425.

(4) Id., IX, 427.

(5) Id., XIII, 615.

(6) Heraclid., *De reb. publ.*, 9, 1, ed. Didot. Cf. Bœckh, *C. I. G.*, II, p. 281, col. 1.

missa, Opuntios videmus cum septem navibus Ceis auxiliatos esse (1).

Quæ quidem coloniæ, diversis regionibus diffusæ, quid demonstrant, nisi illis temporibus quæ fabulosa appellavimus, florentem fuisse gentem Opuntiorum? Quorum oppida hæc erant, si Homeri Καταλόγῳ fidimus : Opus (2), Cynus, Calliaros, Besa, Scarphe, Augeæ, Tarphe, Thronium, alia in Opuntiorum, alia in Epicnemidiorum agro sita (3). Quibus adjicienda est Naryx, Ajacis patria (4), et Alponus, ab Hellanico in Δευκαλιωνείᾳ memoratus (5), sive Alpeni, quos Stephanus Byzantinus Epicnemidiorum metropolim vocat (6), tum Alope (7). His igitur oppidis freti, quorum multa ad Euripum ædificata portus præbebant, et vastum ac fertilem campum circa Opuntem possidentes, in remotissima illa ætate apparent nobis Opuntii ut valida gens atque vivida, bello durisque agrestis vitæ laboribus assueta ; nec abstinere ab admiratione quadam possumus, cum ad rude illud hominum genus respicimus, tot fabulis illustratum arcte cum antiqua Græciæ historia conjunctis : nam ex diluvio illo Deucalionis, ex Hellene, Hercule, Patroclo, Ajace, nescio quid gloriæ ad Opuntios redundat, unde hanc regionem etiam nunc peragrantes, non sine vene-

(1) Herod., VIII, 1.

(2) Hæc urbs tum Ὀποῦς, οῦντος, tum Ὀπόεις, εντος dicitur.

(3) *Il.*, II, 531 sqq. Cf., de Calliaro, Steph. Byz., s. v.

(4) Apud Strabonem, IX, 425, Νάρυκος quoque forma invenitur.

(5) Steph. Byz., s. v. Ἄλπωνος.

(6) Id., s. v.

(7) Strab., IX, 432. Secundum autem Strabonem, accidebat uti, in versu *Il.*, II, 682, pro Alope Halius sæpe legeretur.

ratione aliqua mythos illos recordamur, quorum quasi incunabula Opuntiorum montes extiterunt.

II. — *Tempora historica.*

A quinto tantum, ut diximus, seculo, certa quædam de Locris Opuntiis comperire licet. Quinam autem fuerunt antea aut quem locum inter alias septentrionalis Græciæ civitates tenuerunt? Quo modo bello se immiscuerunt quod cum Eretriensibus Chalcidenses gessere, magnum scilicet, ut apud Thucydidem animadvertimus, inter duas gentes finitimas certamen, quo nullum aliud a trojana expeditione usque ad persicam irruptionem gravius extitisse videtur (1)? Omnia hæc plane nescimus. Verisimile est tamen Opuntios, utpote qui bellicosi essent, illorum prœliorum fuisse participes, quæ ante oculos prope committebantur ; sed antiqui scriptores de his nihil nobis tradiderunt. Quid vero egerint Opuntii, quo tempore Pisistrati filiorumque ejus tyrannis Athenis florebat, pariter ignoramus.

Primum Xerxis expeditionis ætate eos cum ceteris Græcis belli participes deprehendimus. Cum enim rex, priusquam castra moveret, legatos in omnes Græciæ civitates misisset terram et aquam deposcentes, multæ jugum acceperunt, Ænianes scilicet, Dolopes, Melienses, Perrhæbi, Magnetes, quorum defectionem secuti sunt Achæi, Phthiotæ, Thessali, Bœoti, Thespiensibus atque Platæensibus exceptis, tum Locri, et ipsi commu-

(1) Thuc., I, 15, 3.

nis patriæ proditores facti (1). Sed nonnullæ ex iis gentibus, cum nunciatum est Leonidam Thermopylas occupavisse, rursum ad Græcos redierunt, inter quas Locri auxilium spartano duci suppeditavere, et Melienses quoque ac Perrhæbi, omnesque Thebani, si qui persicæ factionis non essent, exemplum hoc imitati sunt (2). Pausanias censet virorum sex millia ab Opuntiis simul atque Epicnemidiis ad Leonidam tum missos fuisse (3). Qui fortiter pugnaverunt. Strabonis enim tempore, videre erat prope Thermopylas ingens quoddam sepulcrum quinque columnis munitum, in quibus inscripta erant nomina omnium gentium quæ Persarum impetum ibi sustinuerant; ex iis autem columnis una hoc ferebat epitaphium :

Τούςδε ποθεῖ φθιμένους ὑπὲρ Ἑλλάδος ἀντία Μήδων
μητρόπολις Λοκρῶν εὐθυνόμων Ὀπόεις (4).

Interea, quo tempore Græci terrestribus copiis Persas propellere conabantur, ad Artemisium promontorium classis decertabat; quo in prœlio cum septem navibus Opuntios pugnavisse scimus (5). Etsi in hoc navali certamine feliciores quam ad Thermopylas Græci evaserunt, non potuere tamen prohibere quin Euripum hostium classis intraret, cum Locrorum agrum interea totamque

(1) Herod., VII, 132; Diod. Sic., XI, 3, 2.

(2) Diod. Sic., XI, 4, 6.

(3) Pausan., X, 20, 2. Cf. Herod., VII, 203. Secundum Herodotum, ad Thermopylas cum toto exercitu, πανστρατιῇ, Locri venerunt. At Diodorus, XI, 4, 7, mille tantum ait affuisse.

(4) Strab., IX, 425.

(5) Herod., VIII, 1.

circa regionem occuparet exercitus. Et barbaris subjecti aliquamdiu Opuntii fuerunt (1), et persico jugo submissi usque ad reportatam apud Platæas victoriam sine dubio manserunt.

Obscurior deinde fit Locrorum historia. Discimus tamen eos bello interfuisse quod, desinente priore quinti seculi parte, inter Athenienses ac Lacedæmonios coortum est, in quo Athenienses ad Tanagram cæsi, haud multo post Œnophytis vicerunt (456 a. C. n.). Tum Opuntii, a Myronide duce deprensi, centum optimatum corpora obsides tradiderunt (2). Inde per Locrorum ac Phocensium agros late dominati sunt Athenienses atque in omnibus civitatibus δημοκρατίαν constituerunt, principesque optimatum coegerunt ut exularent. Tum quoque populis Atheniensium amicis annumerati sunt Locri, id est iis qui, in aliarum gentium commercio, sicut Athenienses se gerere, et, cum flagitaret necessitas, milites suppeditare adigebantur (3). Sed hæc parum duraverunt. Decem enim annos post commissam ad Œnophyta pugnam, rebellarunt Bœoti, duxque atheniensis Tolmides, cum ad Coroneam bœoti, phocenses, locri, eubœenses exules eum essent aggressi, turpiter profligatus est (4). At rex interea Plistoanax cum Lacedæmoniorum exercitu Atticæ imminebat. Quæ cum ita essent,

(1) Thuc., VIII, 43, 3.

(2) Id., I, 108, 3; Diod. Sic., XI, 83, 2. — Cum his centum civibus comparandæ sunt Epizephyriorum *Centum gentes*, de quibus supra, p. 11, n. 1, retulimus.

(3) V. Grote, *op. cit.*, VII, p. 325, 328.

(4) Thuc., I, 113.

id tantum assecuti sunt Athenienses ut Eubœam Periclis consilio ac virtute subigerent; ceteræ autem septentrionalis Græciæ civitates ipsique Opuntii in libertatem se vindicaverunt, et exules domum redierunt, et populares factiones, cum imperium aliquamdiu obtinuissent, in ditionem optimatum ubique reciderunt.

Iisdem ferme temporibus accidit, quod his proximis annis tantum comperimus, ut novi coloni Naupactum mitterentur. Notus est enim ille titulus prope *Galaxidi*, id est antiquam Ozolarum urbem Œantheam (1), nuper repertus, quem Iconomidis primus edidit (2). Ex quo titulo, æreæ laminæ insculpto, sacra ac civilia colonorum jura discere licet, atque imposita eis vectigalia, nec non et condiciones quibus in patriam civitatem restitui quibant, testamenta, hereditates, etc. Quæ curabimus omnia, cum de Opuntiorum legibus disseremus. Nunc, qua ætate titulus scriptus fuerit, inspiciamus. Scilicet Athenienses, cum anno a. C. n. 455 Naupactum cepissent, Messeniorum reliquias, a Lacedæmoniis Messenia tandem expulsas, in hoc oppidum transtulere (3); sed, post pugnam ad Ægos flumen commissam, Naupactum recuperaverunt Lacedæmonii, Messeniisque submotis, urbem Ozolis reddiderunt (4). Jure igitur censet Iconomidis ab anno 455 usque ad Atheniensium illam

(1) Eamdem nempe atque Hyantheam, supra, p. 9, memoratam, quam a Locro conditam esse traditum erat.

(2) Ἐποίκια Λοκρῶν γράμματα, etc. *Patto colonario de' Locri*, etc., Athenis, 1869.

(3) Thuc., I, 103, 3.

(4) Pausan., IV, 26, 2; X, 38, 10.

cladem qua peloponnesiacum bellum terminatum est, haud probabile esse novos colonos Naupactum a Locris missos fuisse, cum Messeniorum in manu subque Atheniensium ditione Naupactus tum esset; unde titulum aut ante 455, aut post prœlium ad Ægos flumen datum, incisum esse. Quarum opinionum posterior cum litterarum forma rebusque post annum 405 gestis parum congruit; quare priori assentiri potius videtur (1).

Novis autem colonis Hypocnemidiorum nomen titulus imponit. Quod quid significaret, quæsiit Iconomidis et Vischer post eum, qui textum hunc prolixe commentatus est (2). At Iconomidis, cum contendat Strabo Locros ad Euripum sitos duas gentes effecisse distinctas, Opuntios scilicet atque Epicnemidios (3), *Etymologicum* vero *Magnum* eosdem in Epicnemidios et Hypocnemidios dividendos esse censeat (4), his duobus testimoniis inter se collatis, concludit Hypocnemidios ab Opuntiis non fuisse diversos; nec, quo certiorem conjecturam faciat, doctissimis abstinet observationibus de sensu præpositionum ἐπί atque ὑπό, callideque ostendit Hypocnemidios designavisse eos qui sub monte Cnemide, etiam in Cnemidis clivo habitabant, Epicnemidios vero, qui suppositam monti late obtinebant regionem (5). Verum hæc Vischer non admittit, sed affirmat contra *Etymologici Magni* locum sine dubio vitiatum esse et plus auctoritatis Stra-

(1) Iconomidis, *op. cit.*, p. 52 sqq.
(2) *Rhein. Mus.*, XXVI, 1871, p. 39-96.
(3) Strab., IX, 425.
(4) *Etym. Magn.*, s. v. Ἐπικνημίδιοι.
(5) Iconomidis, *op. cit.*, p. 43. Cf. p. 39-51.

bonem habere : nam, quod factum sit ab illo inter opuntii agri Cnemidisque incolas discrimen, utriusque gentis historia facile explicari ; Epicnemidios vero atque Hypocnemidios unum populum fuisse (1). Quam opinionem Allen quoque sequitur (2), his tantum additis, Hypocnemidiorum nomen ad omnes Orientales Locros communiter forsan pertinere. Quod cum nulla re satis confirmetur, quæ Vischer censet, ea nos censere melius videtur.

Hæc autem sententia sensu etiam comprobatur qui, in tribus tituli locis, verbis Ὀπούντιοι et Ὀπόεις videtur fuisse assignatus. Quæ loca hæc sunt (3).

1° Vers. 11 sqq. — « Jurejurando teneantur coloni Naupactum missi ne quo dolo, ne qua machinatione ab Opuntiis deficiant; sed, si placet, triginta post jusjurandum annis, centum Naupactiorum cives Opuntiis aut Opuntiorum Naupactiis jusjurandum hoc deferunto. »

2° Vers. 32 sqq. — « Coloni Naupactum missi jus a judicibus primi obtinento, et eamdem facultatem intra annum eadem die Opunte habento. »

3° Vers. 38 sqq. — « Si quis dolo aut machinatione vel una hoc pactum violaverit, nisi utrique parti placet, mille Opuntiorum consilio et plerisque Naupactiorum

(1) Vischer, *discept. cit.*, p. 74-89.

(2) *De dialecto Locrensium*, in *Studien zur griech. und latein. Gramm.*, quorum auctor est G. Curtius, III, p. 209 sqq.

(3) In his interpretandis auxilium mihi perquam utile suppeditavit doctissima tituli in gallicum sermonem translatio, quam E. Egger edidit, *Journal des savants*, 1872, p. 32 sqq. — V. ibid., p. 29, omnium disceptationum indicationem quæ de hoc titulo conscriptæ sunt. Quibus unam addiderimus, posterius a Riedenauer editam, *Hermes*, 1873, p. 111-112, et alteram, a Bréal conscriptam, *Revue archéologique*, 1876, XXXII, p. 115-116.

colonorum decernentibus, capite deminutus esto ejusque bona publica sunto. »

In his autem tribus locis, vocabula Opuntii et Opus Orientales Locros eorumque metropolim publice designare nobis videntur. Quo enim tendunt hæc tituli loca, nisi ut novorum colonorum commercia cum universa regione, unde profecti sunt, regant atque componant? Nempe inter officia quibus hi astringuntur coloni, sunt quæ cum civitatibus tantum eos alligent quas ante migrationem habitabant, cum Percotharia scilicet ac Mysacheo, unde novas sedes petierunt; sunt vero alia quibus erga totam Orientalium Locrorum civitatem vinciantur : quæ quoties expromere voluit titulus, nominibus Ὀπούντιοι et Ὀπόεις usus est. Quod si igitur Ὀπούντιοι et Ὀπόεις ad universum Orientalium Locrorum agrum eorumque metropolim pertinent, necesse est Hypocnemidiorum nomen partem tantum ejusdem agri designet, et eamdem sine dubio atque eam, ut Vischer censet, quæ Epicnemidiis solet addici; in hac autem parte oppida erant Percotharia ac Mysacheon, unde migraverant coloni. Quæ quidem penitus ignorabamus, priusquam galaxidianus titulus inventus fuerit. Erant sane viculi, quorum vestigia antiquitus abolita sunt; neque enim a Strabone neque a Pausania memorantur.

His autem colonis, quos miserant Orientales Locri, sese adjecerant alii, Chalæo, ex Ozolarum urbe, profecti. Quorum ad tituli finem mentio fit. Verum ii ab Antiphata quodam deducti erant. Ad hos quoque lex, non ad Hypocnemidios modo, spectat.

Itaque, ex hoc monumento, de quo fusius alias dispu-

tabimus, apparet Opuntios in illa ætate maxime inter omnes septentrionalis Græciæ populos viguisse, cum non dubitaverint magno civium numero se ipsos fraudare, ut veterem cum Ozolis corroborarent amicitiam, atque in tota regione trans Parnassum sita imperium sibi et auctoritatem confirmarent.

Quo modo vero belli peloponnesiaci tempore Opuntii se gesserint, difficile est exequi, tam parvi momenti fuerunt in illo duarum maximarum gentium concursu. Videmus tamen eos haud ignavos mansisse, si quidem scriptoribus credimus qui bellum hoc narraverunt, Thucydidi nempe ac Diodoro Siciliensi. Namque a principio ad Lacedæmonios transiisse discimus, sive Atheniensium dominationis etiam tum memores erant, seu gens agrestis et libertatis amans vicinam Atheniensium potestatem reformidabat. Quidquid id est, inter Lacedæmoniorum socios, secundum Thucydidem et Diodorum, numerandi sunt Opuntii (1); equites suppeditabant (2). Atheniensium vero partes Messenii Naupacti habitantes (3) omnesque Ozolæ (4) secuti sunt, exceptis Amphissensibus (5). Ita ruptum est fraternum inter Locros fœdus et coloni contra patriam arma tulerunt.

Primo igitur belli anno (431), Atheniensium classis, Cleopompo, Cliniæ fratre, imperante, Euripum ingreditur, militesque in Locrorum littus exponit, quorum

(1) Thuc., II, 9, 2; Diod. Sic., XII, 42, 4.
(2) Id., II, 9, 3.
(3) Id., II, 9, 4.
(4) Id., III, 95, 3.
(5) Diod. Sic., XII, 42, 4.

impetu Thronium, deinde Alope capiuntur (1). Athenienses postea insulam Atalanten, in opuntio sinu, muniunt, ne quid Locri in Eubœam inde moliantur (2). Tum de Opuntiis nihil prope compertum habemus, nisi, anno 426, totam regionem terribili quadam calamitate vastatam esse : nam cum in diversis locis violenti terræ motus facti essent, exundavit subito mare, insulamque Atalanten, quæ antea, auctore Diodoro, promontorium erat, a littore separavit (3). Secundum autem Demetrium Callatianum, Atalante, cum jam insula esset, in duas partes rescissa est (4). Interea Scarphea oppidum radicitus eruitur ac mille et septingenti homines simul pereunt. At Thronium male undis mulcatur et Daphnuntis campum aqua torrens diluit; nec non et Alopes, Cyni, Opuntis multæ regiones fluctibus opprimuntur, castellumque Œum, quod Opunti imminebat, collabitur. Alponi vero, cum celebrarentur Thesmophoria et quinque ac viginti virgines pompam e turri quadam spectarent, turris ruina colliduntur. Nec similia in Eubœa atque in insula Peparetho miracula tum defecere (5), ita ut belli malo pejus quoddam aliud, utpote quod ex improviso surgeret, adderetur.

Eodem anno Nicias Atheniensis cum sexaginta navibus

(1) Thuc., II, 26; Diod. Sic., XII, 44, 1.

(2) Thuc., II, 32; Diod. Sic., XII, 44, 2. De hac insula, v. G. Lolling, *Mittheilungen des deutschen archäologischen Institutes in Athen*, I, p. 253-255.

(3) Thuc., III, 89, 3; Diod. Sic., XII, 59, 2.

(4) Strab., I, 60-61.

(5) Thuc., III, 89, 4.

Locrorum littus populatur (1). Tum, anno 424, discimus Opuntios prœlii ad Delium commissi participes fuisse ac fugientes Athenienses equitibus exagitavisse (2). Postea vero (418), Mantineensibus, cum urgerent Argei, auxiliantur (3). Ab illo autem tempore, si Thucydidem Diodorumque consulimus, eorum vestigia in hoc bello haud facile deprehendimus, quanquam sine dubio usque ad certaminis finem pugnaverunt. Sed, captis a Lysandro Athenis, Lacedæmoniorum socii pretium victoriæ postulaverunt, inter quos Thebani maxima sibi præmia depoposcere (4); verum iis nihil concessum est (5). Inde, Lacedæmoniis infensi, injuriæ nunquam obliti sunt. At timidiores populi, sicut Opuntii, qui auxilii mercedem exegerant nullam, priscis sociis inimici jure facti sunt, perque totam Græciam Spartæ odium crevit, cum in Athenienses publica civitatum studia rursus converterentur (6).

Ab anno autem 404, quo finitum est peloponnesiacum bellum, usque ad pugnam apud Mantineam consertam (362), qua thebanæ dominationi finis impositus est, raris intervallis in universæ Græciæ historia apparent Opuntii. Anno tamen 395, cum illis atque Phocensibus nata esset controversia de cujusdam agri possessione inter Locros ac Phocenses siti, Opuntii a Thebanis,

(1) Thuc., III, 91, 6.
(2) Id., IV, 96, 8.
(3) Id., V, 64, 4.
(4) Plut., *Lysand.*, 27.
(5) Xen., *Hellen.*, III, 5, 5. Cf. id., ibid., III, 5, 12.
(6) V. Grote, *op. cit.*, XII, p. 60.

sociis suis, Phocenses vero a Lacedæmoniis auxilium petierunt (1). Tum Thebanorum exercitus Phocidem vastat, dum Phocenses Locrorum infestant regionem. Mox et Athenienses superveniunt, sed a Lacedæmoniis gentes fœderatæ ad Corinthum vincuntur (2). Agesilaus interea, ex Asia Minore subito revocatus, cum e montibus Thessaliæ descenderet, Thebanorum atque Atheniensium, Corinthiorum, Argeorum, Ænianum, Eubœensium, Opuntiorum, Ozolarum copias offendit (394), pugnaque ad Coroneam commissa, vulneratus, militibus haud paucis amissis, victor tandem, sed cum magno exercitus damno, evadit (3).

Deinde, post editum ad Leuctra prœlium (370), Opuntios contra Lacedæmonios cum Thebanis iterum conjunctos videmus (4); quibus se Phocenses addunt atque Ætoli. Eodem autem anno, Epicnemidiorum regio ab Iasone, Pheræorum tyranno, vastatur, a quo etiam capitur Trachiniorum oppidum Heraclea (5). Nec multo post Locros invenimus Epaminondæ Pelopidæque ductu militantes, cum hi Lacedæmonios intra ipsius Laconiæ fines lacessunt (6). Quas vero partes usque ad exitum belli Opuntii tenuerint, nescimus : difficile est enim

(1) Xen., *Hellen.*, III, 5, 3.

(2) Id. ibid., IV, 2, 17.

(3) Id., *Ages.*, II, 6-17.

(4) Diod. Sic., XV, 57, 1. Diodorus verbo Λοκροί, non Ὀπούντιοι, in hoc loco utitur, sed verisimile est tali nomine eum designasse Opuntios simul atque Ozolas, qui, quamdiu cum Lacedæmoniis Thebani decertaverunt, Thebanorum partes nunquam deseruerunt.

(5) Id., XV, 57, 2.

(6) Id., XV, 62, 4.

inter tot civitates illius certaminis participes atque socias unius populi vestigia persequi.

Quæ deprehendimus rursum a phocensis belli initio (355). Cujus causa neminem fugit. Nam cum Phocenses partem agri Apollini sacri aratro proscidissent, sacrilegii, si quidem famæ credendum est, a Thebanis apud Amphictyones accusati, urgentibus Thessalis Locrisque, damnati sunt; sed, cum indictam mulctam solvere non potuissent, decreverunt Amphictyones totam Phocidem deo addicendam esse. Tum, iniquitatem judicii exprobrantes, Phocenses rebellant et, Philomelo duce, Apollinis templo potiuntur, cujus custodiam sibi antiquitus traditam contendebant; deinde, in omnes civitates mittunt legatos, qui ceterorum Græcorum assensum sibi ac favorem concilient. Quibus benevolos se præstitere Athenienses et Lacedæmonii et Achæi et alii quidam Peloponnesi populi; Thebani vero, Thessali, Locri, Dores, Ænianes, Phthiotæ, Magnetes, Perrhæbi, Athamanes, Dolopes hostilem contra Philomelum ejusque socios animum palam demonstravere (1).

Locros memoravimus, sed hi, ut videtur, Ozolæ sunt, aut Amphissenses saltem, quos Delphis adversus Philomelum opitulatos esse scimus. At Opuntii idem atque Ozolæ sine dubio tum sentiebant, cum in Amphictyonum consilio et ipsi suffragium suum haberent (2). Nec verisimile est eos incuriosos illius belli mansisse a Thebanis

(1) Grote, *op. cit.*, XVII, p. 59 sqq.

(2) Pausan., X, 8, 5. Cf., de hoc Amphictyonum consilio, disceptationem quam edidit Foucart apud Daremberg et Saglio, *Dictionnaire des antiquités grecques et romaines*, s. v. *Amphictyones*.

excitati; sed, quia principio procul ab opuntio agro res agebatur, quiescebant. Mox in eos Phocenses irrupere. Nam cum in pugna prope Neonem urbem contra Thebanos commissa occisus esset Philomelus, ejus in locum dux Onomarchus factus est. Qui Amphissenses statim aggreditur, deinde Dores, post Epicnemidios, Thronioque capto, cives in servitutem redigit (1). Sub idem autem tempus conjicere licet illum Alpono ac Nicæa potitum esse, namque nos admonet Æschines has urbes, quibus, sicut et Thronio, Thermopylæ quasi claudebantur, Phocensium etiam tum fuisse, cum jam in eo esset Philippus ut Phocenses debellaret (2).

Sed omittamus hoc bellum, quod quidem in Phocensium regione maxime agitur, verum et propagatur ac Bœotiam, Thessaliam, Peloponnesum etiam penitus conturbat. Quam personam tum Philippus gesserit, notum est : qui vindicem se Apollini dedit et Phocenses strenue est aggressus. In Thessalia autem, manibus cum Macedonibus consertis, Onomarchus perit : cui Phayllus succedit (352). Sed hic haud multo post morbo conficitur, et in pueri manus imperium venit, Phalæci nempe, Onomarchi filii, cui rector adjungitur Mnaseas. At bellum interea circa Coroneam, Abas, Narycem durabat. Athenienses vero, Philippi progressu jam territi, et pro Phocensibus aperte propugnant et ad Thermopylas propere

(1) Diod. Sic., XVI, 33, 3.

(2) Æschin., *De male gesta legatione*, 132. Cf. Scyl., *Peripl.*, 61, qui Phocensibus addicit Epicnemidiorum urbes Thronium, Cnemidem, tum Elateam atque Panopea, quod in illa ætate qua scribebat, Phocensium etiam hæc oppida erant.

copias mittunt, ne ultra procedat Macedonum exercitus. Quid postea evenerit, omnes sciunt. Anno 346 bellum sedatum est, atque in Amphictyonum consilio Phocensium locum occupavit Philippus.

Verisimile est, cum hoc tot gentes certamen sollicitaret, Opuntios quoque valde bello füisse perturbatos. Quorum Diodorus, qui confusam hanc historiam scripsit, mentionem non facit, sed ex ipso Opuntiorum situ, ex bellicosis animis suspicari licet eos procul ab hoc concursu non stetisse remotos. Usque tamen ad chæronensem pugnam (338), quid de iis factum sit, ignoramus; neque illius prœlii scimus an participes extiterint.

A Philippi autem morte (336) usque ad id tempus quo libertas Græcis a Flaminino data est (195), nihil nobis, de Opuntiorum historia inquirentibus, occurrit, nisi continua ferme incursionum series. Videtur enim hæc regio exercitibus e Macedonia Thessaliaque descendentibus, aut ex Bœotia atque Attica erumpentibus, fato quodam, apertum iter præbuisse. Primum scilicet Alexander, patre mortuo, irruit, quo tempore Græciam subigere aggreditur, Asiam jam petiturus, atque in Thebanos incurrit (1). Post Alexandrum vero, haud absurdum est opinari Opuntios in lamiaco bello plurimam Macedoniæ adversariis operam præstitisse, et ad Lamiam Cranonemque sociorum cladem participavisse.

Tunc, cum a ceterorum Græcorum moribus ac fortuna diu sejuncti fuissent, primum in historia apparent Ætoli; quanquam in Alexandri adversus Thebanos expeditione

(1) Pseudo-Callisth., I, 46, ed. Didot.

jam pugnaverant (1); sed maximam laudem adepti sunt illo prœlio quod ad Thermopylas cum Gallis conseruerunt (279). In quo et Opuntios decertavisse discimus, a Midia quodam ductos, et septingentos pedites Ætolis suppeditavisse (2). Vicerunt Ætoli, ac potestatem inde atque auctoritatem in septentrionali Græcia sibi pepererunt, quæ usque ad Romanorum adventum perduravit (3).

Quibus, ut Græcorum negotiis se immiscerent, ipsi Ætoli, cum Philippo V, Macedonum rege, bellantes, occasionem dederunt. Polybius autem bellum hoc narravit; in quo et Opuntii, Ætolorum socii, pugnaverunt, et eorum ager sæpe ab hoste violatus est. Nam, cum Philippus e Thessalia in Eubœam transiisset, Cynum inde petiit, deinde, tota Locride trajecta, Corinthum se transtulit (4). Tum postea Thronio minatur (5). Exhausti vero Ætoli tandem decernunt ut ab Romanis auxilium poscant (6). Tunc usque ad annum 205 trahitur bellum, vincitque aliquoties Philippus, sed Pergamenorum rex Attalus, Romanorum socius, nonnulla ejus oppida expugnat. Anno autem 205, inter Philippum atque Ætolos, Philippumque ac Romanos fit pax. Cum vero bellum redintegratum esset, Sulpicius consul adversus Macedones mittitur. Is, Opuntem, quæ etiam tum penes Philippum

(1) Arrian., I, 10.

(2) Pausan., X, 20, 4.

(3) De Ætolici fœderis constitutione, v. Humbert et Saglio, *Dictionnaire des antiquités grecques et romaines*, s. v. *Ætolicum fœdus*.

(4) Polyb., IV, 67, 7.

(5) Id., IX, 41, 11.

(6) Liv., XXVI, 24.

erat, cum Attalo simul aggressus, capit (1). Post, T. Quinctio Flaminino consule, Opuntiorum regionem vehementer bello perturbatam videmus; in qua consul, capta Elatea, et hibernat et placat seditionem inter ætolicam romanamque factionem Opunte coortàm (2); in qua etiam, haud procul a Thronio, Flamininus cum Philippo congreditur (3), et indutias facit, hac condicione, ut ex Phocensium Locrorumque agris copias rex abducat (4). Sub idem vero tempus, Ætoli, Achæi, Athenienses Attalusque legatos Romam mittunt, a senatu petituros ut Peloponnesiorum, Locrorum, Bœotorum, Phocensium, Thessalorum, Magnetum illum misereat : has enim gentes in perpetuo timore jam esse futuras, si Philippus Chalcidem, Corinthum ac Demetriadem ceperit (5). Continuatur itaque bellum; tandem Macedoniæ vis atque impetus ad Cynos Cephalas frangitur (197). Nota est Flaminini calliditas, qua libertatem Græciæ in Isthmiis denunciavit. Inter liberos autem factos populos, erant et Locri : quibus concedebatur, ut ceteris, ne externa præsidia acciperent, ne tributum solverent, sed ut suis ipsi se regerent legibus (6). Ætolico vero fœderi, sicut Phocenses, rursus addicebantur (196) (7).

Sed pax non diu mansit. Mox enim Ætoli, Romanis

(1) Dio Cass., fragm., 57, 57; Liv., XXVIII, 7.
(2) Liv., XXXII, 32.
(3) Polyb., XVII, 9, 3.
(4) Id., XVII, 10, 4.
(5) Id., XVII, 11, 6.
(6) Id., XVIII, 29, 5 : ... ἐλευθέρους, ἀφρουρήτους, ἀφορολογήτους, νόμοις χρωμένους τοῖς πατρίοις.
(7) Id., XVIII, 30, 9; Liv., XXXIII, 34.

infensi, quod suis rebus parum inservissent, ad Antiochum, Syriæ regem, confugiunt, et auxilio ejus freti, Macedoniam dissolvere aggrediuntur. Primum vero ab Antiocho ignave res geruntur, donec exercitus romanus, consule duce Acilio Glabrione, supervenit. Et rursum ad Thermopylas pugna committitur (191), in qua cæduntur Ætoli atque Antiochi milites. Tum sine dubio Opuntiorum regio a Romanis iterum occupata est. Obscuriores deinde fiunt Locrorum res, neque eorum vestigia facile reperimus antequam consul Metellus illis regionibus bellum inferat. Sublato enim Ætolico fœdere, Macedonia et ipsa victa fuerat; verum, anno 152, Andriscus quidam, qui se Perseos filium contendebat, novum ciet adversus Romanos bellum; sed mox captus Romam mittitur (147). Et eodem ferme tempore, Achæi, cum ægre ferrent romanos legatos certamini intervenisse, quod ipsis cum Lacedæmoniis erat, contra Romanos arma ferunt. Quorum fortunæ Chalcidenses et Bœoti socios se declarant, ac Metello e Macedonia, ubi permanserat, descendenti prœlium a fœderatis ad Scarpheam offertur (147) (1). In quo vincunt Romani. Hæc autem victoria et Locrorum et omnium Græcorum libertati terminum assignavit. Anno enim 146, in provinciam Græcia sub Achaiæ titulo redacta est.

Nos vero hæc narrando diutius non morabimur. Propria enim Opuntiorum historia magis ac magis cum universæ Græciæ historia confunditur. Forsan et anno 86, cum in Bœotia Sylla bellum faceret et ad Chæroneam

(1) Pausan., VII, 15, 3.

atque Orchomenum dimicaret, turbata est rursus hostium incursionibus Locrorum regio : sed tum apud scriptores Opuntiorum nomen non occurrit (1).

Ut animadvertere licet ex iis quæ de illis breviter diximus, a persici belli tempore eorum vis atque potentia continuam fere deminutionem passa est. Nam in illa ætate qua cum barbaris certandum erat, præpollentes nobis apparent Opuntii, neque ulla prope alia gens, in septentrionali Græcia, Atheniensibus exceptis, cum illis æque comparari queat. Tum, crescente Atheniensium et Lacedæmoniorum dominatione, sensim premuntur, auxiliumque aliis haud temnendum suppetunt, sed in magnis rebus quæ per totam Græciam aguntur, secundas jam partes tenent. Post Philippum vero, Locris fit quasi transeuntibus via; jam nihil est, nisi ad Thermopylas iter, scilicet ad portas per quas omnis in Græciam hostis irrumpit; primus est ager quem vastant atque occupant. Tandem fortunam sequitur Ætolorum, id est populi cujus virtus et tanquam juvenilis animus supremos Græciæ libertatis dies illuminat : quorum fati participes, cum iis pereunt Opuntii.

In hac autem longa bellorum serie opuntii agri fines sæpius mutatos fuisse discimus. Pars enim regionis penes Phocenses fuit ac postea Opuntiis, aut potius Epicnemidiis reddita est (2). Ad ostium Cephisi Larymna, cum Opuntiorum esset, bœotica facta est, sed quando facta sit, ignoramus (3). Item Strabo inter Bœotiæ oppida Ha-

(1) V. tamen Plut., *Sylla*, 26.

(2) V. supra, p. 25, n. 2.

(3) Pausan., IX, 23, 7. De Larymna, quam nonnulli Bœotico fœderi ad-

las numerat, quanquam e reliquiarum situ Locrorum fuisse videtur (1). Daphnus vero diu in Phocensium manibus mansit (2).

Cum Strabo Græciam inviseret, præcipua Opuntiorum atque Epicnemidiorum hæc erant oppida. Ex homericis urbibus nulla prope jam extabat : Calliari, Besæ, Augearum situs tantum agnoscebatur (3). At urbs Tarphe, in colle, haud procul a Thronio, posita, etiam tum apparebat, verum illi nomen erat Pharygæ (4). Opus, Cynus, Alope, Thronium, Naryx, Alponus, Scarphea (quam Homerus Scarphen vocat), stabant. Inter alias autem urbes, Daphnus jam diruta jacebat (5); Nicæa, Thermopylarum finitima, salva erat (6). De Cnemide non mentionem facit Strabo, a Scylace memorata (7), neque de Percotharia ac Mysacheo, quæ galaxidiano titulo citantur (8). Halæ denique et Larymna, si quidem inter Locrorum oppida sunt annumerandæ, nondum perierant.

Tum postea, desinente jam secundo p. C. n. seculo, cum hæc loca Pausanias peragraret, multæ ex illis urbibus erant excisæ. Nam de Opunte tantum, Cyno, Halis, Larymna, Thronio, Scarphea Pausanias loquitur, et

dicunt, v. Caillemer, *Dictionnaire des antiquités grecques et romaines*, s. v. *Bœoticum fœdus*, p. 174, col. 2.

(1) Strab., IX, 405.

(2) Id., IX, 416.

(3) Id., IX, 426.

(4) Id., ibid.

(5) Id., IX, 424.

(6) Id., IX, 426.

(7) *Peripl.*, 61.

(8) V. supra, p. 19.

nova duo designat oppida satis ignobilia, Cyrtones nempe atque Corseam (1). Tota tunc regio prope deserta fuisse videtur, cum servatæ urbes nihil nisi pagi jam essent, atque ex heroicis civitatibus, olim florentibus, aut informes ruinæ aut memoria tantum restaret.

(1) Pausan., IX, 24, 4-5.

CAPUT II.

REGIONIS DESCRIPTIO.

Nunc, cum præteritam Opuntiorum atque Epicnemidiorum vitam respexerimus, quid supersit hodie de antiquis illis civitatibus quarum historiam evolvimus, quæ sit regionis illius facies, tot tamque venerandis fabulis, tot bellis illustratæ, consideremus, atque ex locorum aspectu veterum incolarum ingenii subtiliorem nobis effingamus imaginem (1). Ab Opunte primum atque Opuntiorum agro incipiamus.

Pars autem Locridis proprie Opuntiorum dicta his finibus continetur (2) : austrum ac lilibem versus, collibus qui septentrionali Copaidis ripæ imminent; a parte vero occidentis, Epicnemidiorum montibus; tum aquilonem et cæsiam versus, Euripo; ad orientem denique, fossa qua Copaidis aqua in mare defluit (3). Quæ regio, cum e collibus supra urbem *Atalanti* assurgentibus despicis,

(1) V. C. Bursian, *Geographie von Griechenland*, I, p. 186-194, Lipsiæ, 1862.

(2) V. Kiepert, *Atlas antiquus*, tab. VI, Berolini, 1872.

(3) Cf. tabulam huic disceptationi adjunctam. Quæ ex tabula dicta *Carte de l'Etat major français*, ad minorem mensuram redacta, transcripta est.

agrestis licet, admiratione quadam te afficit; namque Opuntis campus abruptis montibus circumdatur, quos miro quodam æstiva lux colore vestit; tum procul cæruleum Euripi flumen distinguitur, ultraque Euripum arduum Eubœæ littus apparet ingentiaque saxa, unde (quod in hodierna Græcia miraculum jure habetur) scatentes desiliunt rivi seque in mare cum tumultu et spuma præcipitant.

Opuntium vero agrum perlustranti, a pago *Castri* usque ad montes quibus Epicnemidii ab Opuntiis separantur, tres regiones inter se dissimiles occurrunt : una scilicet, ea quæ magis ad meridiem vergit, omne spatium inter *Castri* atque insulam *Gaïdouro-Nisi* comprehendit, et viridibus pinetis, rivulis per valles currentibus, vinetis, olivetis ornata est. At altera Opuntis campum continet, circa pagum *Kyparissi* paludosum, in ceteris autem locis salubrem fertilemque. Tertia denique, abruptior, montes concludit supra viculum *Scander-Aga* editos et angustum littus quod inter *Livanatais* et Alopen extenditur. Quarum regionum una quæque sua antiquitatis monumenta ostendit.

Nempe, in parte ad meridiem sita, illi sunt pagi quos prope priscorum temporum vestigia reperiuntur : *Castri*, *Martini*, *Proskyna*, *Malesina*.

Cujus vero oppidi locum occupet *Castri*, notum est : inter Larymnæ enim ruinas est ædificatum. Strabonis autem ætate, Bœotorum erat Larymna, sed ignobilis (πολίχνη), ad ostium Cephisi, in littore maris posita (1).

(1) Strab., IX, 405 : ... Λάρυμνά τε, παρ' ἣν ὁ Κηφισσὸς ἐκδίδωσι.

Erat et altera, haud procul ab hac, Larymna, quam Strabo Locris assignat, quæque Λάρυμνα ἡ ἄνω ab illo dicitur; quæ condita fuerat a Romanis in eo loco ubi Cephisus, postquam subterraneus factus est, luci rursus redditur. At regio in qua illa surgebat Larymna, secundum Strabonem, Ἀγχόη vocabatur; et erat prope eodem nomine palus appellata (1). Nunc, si quasdam petras in colle, haud procul a dextera Cephisi ripa, sparsas exceperis, nihil ex illo oppido restat, quod Pausaniæ tempore jam non extitisse videtur, nam viator, in Opuntiorum agri descriptione, priorem tantum Larymnam memorat, quæ erat vetustior, nomenque a Larymna, Cyni filia, qui Opuntis portus fuerat ἐπώνυμος, acceperat (2). Ex qua vestigia adhuc nonnulla supersunt. Quæ Leake aliique harum regionum exploratores descripserunt (3). Videre est enim in angusto promontorio ad septentrionem verso paululumque ad orientem flectente, mœnium reliquias satis incolumes; et alia mœnia in ipso mari apparent, quasi molem quamdam indicantia; alia vero præter littus cernuntur, pistrinum versus *Mylous* ab indigenis denominatum, cui Cephisus aquam suppetit. Pleræque autem in pago *Castri* domus antiquis lapidibus constructæ sunt, ac nonnulla in hortis columnarum fragmenta jacent. Inter quæ rudera notandus est romanus sarcophagus (alt. $0^m,85$, long. 2^m), communibus ornamentis decoratus. At in colle qui pagum supereminet,

(1) Strab., IX, 406.

(2) Pausan., IX, 23, 7.

(3) Leake, *op. cit.*, II, p. 287; Ulrichs, *op. cit.*, I, p. 227-232; Ross, *op. cit.*, I, p. 99.

innumeri tumuli quotidie effodiuntur, quorum multi funebres titulos continent. Ex iis autem titulis hos sex ineditos credimus : quos omnes fere, marmoreis tabulis inscriptos, aut intra domos aut in hortis domos præcedentibus transcripsimus (1).

ΑΓΟΛΛΟΔΩΡΟΣ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΥ
ΓΥΘΟΚΛΕΙΑ
ΓΥΘΩΝΟΣ

ΑΡΑΝΙΑ
[Ε]ΛΠΙΝΙΚΟΥ
ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ
[Α]ΘΗΝΑΔΟΥ

ΝΙΚΟΔΗΜΕ
ΧΑΙΡΕ

ΣΩΣΤΡΑΤΟΣ

ΔΙΟΝΥΣΙΑ

ΒΑΚΧΙΣ

A *Castri* usque ad *Martini* via duarum horarum est iter. *Martini* autem pagus, in prærupto colle positus, unde nemorosi circa *Mazi* pagum clivi prospiciuntur, nihil habet in se quo viator alliciatur; sed procul, meridiem versus, tumulus quidam, *Palaio-Castro* appellatus, propugnaculi reliquias adhuc servat. In quo sacellum , *Sancto Georgio* dedicatum (2), totum prope ex antiquis fragmentis constat, columnis, tabularum pedibus, doricis corinthiacisque capitulis, marmoribus titulos continentibus, etc. At sepulcra prope reperiuntur communem

(1) Hos titulos et eos qui sequuntur sine commentario nunc damus ; postea vero, si necesse est, explicabimus.

(2) Sanctorum nomina latine expressimus, etsi in tabula hodiernam cis formam (*Haghios Gheorghios*, *Haghios Constantinos*, etc.), sicut ceteris recentis ætatis nominibus, servavimus.

supellectilem exhibentia. Has autem ruinas Ross ait aut Cyrtones aut Corseam indicare (1). Koutorga vero Cyrtones potius conjicit (2), nec absurde, quoniam certe nunc scimus quo loco urbs Bœotorum Hyettus steterit (3), quam inter et Cyrtones, ut perhibet Pausanias, viginti circiter stadia intererant (4); et eodem ferme intervallo *Martini* a *metochi Dendra* separatur, ad quod veteris Hyetti apparent rudera. Tum tumulus in quo ruinæ sitæ sunt cum Pausaniæ descriptione satis convenit, apud quem legimus Cyrtones in alto quodam colle, ἐπὶ ὄρους ὑψηλοῦ, extitisse (5). Priscum vero oppidi nomen erat Cyrtone (6). Quam inter bœoticas urbes Pausanias memorat, quia, sine dubio, modo Bœotorum, modo Locrorum, sicut Larymna, fuit.

Hos autem titulos circa *Martini* collegimus.

In sacello *Sancti Georgii*, marmorea basis in qua hæc inscripta sunt :

ΟΙΦΙΛΟΓΥΜΝΑΣΤΑΙ
ΕΦΑΡΜΑΣΤΟΝΑΡΙΣΩΝΟΣ
ΑΡΕΤΗΣΕΝΕΚΕΝΚΑΙΕΥΝΟΙΑΣ

Οἱ φιλογυμνασταὶ
Ἐφάρμαστον Ἀρίσ(τ)ωνος
ἀρετῆς ἕνεκεν καὶ εὐνοίας.

(1) *Op. cit.*, I, p. 98 sqq.
(2) *Revue archéologique*, 1860, II, p. 395.
(3) Koumanoudis, Ἀθήναιον, I, p. 490-500; IV, p. 101, n. 1. Cf. *Bulletin de correspondance hellénique*, II, p. 492 sqq.
(4) Pausan., IX, 24, 4.
(5) Id., ibid.
(6) Id., ibid.

In eodem sacello, pulli marmoris fragmentum in exteriore pariete inclusum :

ΦΕΙΔΟΛΑΟΥ
ΙΝ ΘΕΟΙΣ

In sacello *Sancti Demetrii* sub pago ædificato, supra portam, marmoreæ tabulæ fragmentum :

ΣΩΣΙΝΕΙΚΕ
ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ

Pagus autem *Proskyna*, quem offendes duas horas postquam *Martini* reliqueris, in clivo collis positus est, qui leniter ad mare devehitur. Ibi, in tumulo quodam qui pago imminet, cuique ab indigenis nomen τὸ Φρούριον impositum est, aliqua antiquitatis vestigia servata sunt; murus enim ad terram recisus, qui 175^{m} spatio in rectum tendit, deinde flectitur atque inter dumos absconditur, antiquæ acropolis circuitum designare videtur. Tum quoque, in infima pagi parte, nonnulla reperta sunt sepulcra, unde olim urbem hic extitisse satis apparet. Quam veterem esse Corseam libenter conjecerimus, quæ a Koutorga atque Bursian prope pagum *Malesina* ponitur (1). Pausanias nempe ait ex Cyrtonibus venienti superandum fuisse montem, ut Corseam attingeret : Ἐκ δὲ Κυρτώνων ὑπερβάλλοντι τὸ ὄρος πόλισμά ἐστι Κορσεία (2). Quod et nunc viatori evenit, si quis, *Martini* relicto, *Proskyna* petere

(1) De Koutorga, *discept. cit.*, p. 394; Bursian, *op. cit.*, I, p. 192.
(2) Pausan., IX, 24, 5.

vult. Pausanias vero addit (1) : Καταβάντων δὲ ἐς τὸ χθαμαλὸν ποταμὸς Πλατάνιος καλούμενος ἐκδίδωσιν ἐς θάλασσαν. Si quis enim, *Proskyna* descendens, clivum sequitur ad mare vergentem, una vix hora peracta, torrentem invenit, qui, ut indigenæ aiunt, nunquam siccatur. Cum autem nullus alius rivus circum reperiatur, verisimile est hunc esse Platanium. Cujus ad ostium quædam petræ effossæ atque innumera fictilium rerum fragmenta hunc locum quondam habitatum esse declarare videntur. Anno 1875, Dimitriadis, Peloponnesi antiquitatum custodiæ tum præpositus, sepulcrum hic aperuit, sed in eo vasa communia tantum erant. Forsan hic stabat vicus, cujus nomen ad nos non pervenit, quique Corseæ portum suppetebat. Nec procul a *Proskyna* inventum est anaglyphum mira quadam arte effectum, de quo postea erit mentio.

Reliquiæ autem quæ ad *Malesina*, haud procul a sacello quodam *Sancto Ioanni Theologo* dedicato, apparent, a Koutorga abunde descriptæ sunt (2). Quæ spatium satis amplum inter duos colles occupant et usque ad mare propagantur. Hic quotidie indigenæ terram fodiunt, antiqua monumenta quærentes. In hoc loco affirmare licet Halas oppidum quondam extitisse, quæ, secundum Pausaniam, in dextera Platanii ripa, ad mare quo Locris ab Eubœa sejungitur, erant positæ, ἐπὶ θαλάσσῃ ἣ τὴν Λοκρίδα ἤπειρον ἀπὸ τῆς Εὐβοίας διείργει (3). At Pausanias illius urbis incolas

(1) Pausan., IX, 24, 5.
(2) *Discept. cit.*, p. 392-394.
(3) Pausan., IX, 24, 5.

Βοιωτῶν ἐσχάτους vocat (1). Hucusque igitur extendebatur Bœotorum ager et Corseam continebat littusque a *Proskyna* usque ad *Sancti Ioannis Theologi* campum? Forsan hi Bœotiæ per aliquod tempus fuerunt fines; verum nihil certum de hoc comperimus. Bursian tamen Halas Locris addicit (2). De fictilibus autem figuris quæ ex antiquæ civitatis sepulcris effodiuntur, alio loco disseremus; nunc funebrem hunc titulum transcribamus, ad sacellum *Sancti Ioannis* repertum :

ΟΣ ΕΠΑΦΡΑ ΧΑΙΡΓ

...ος Ἐπαφρᾶ, χαῖρ[ε].

Ea antiquitatis vestigia in illa opuntiæ regionis parte occurrunt. Inde autem Opuntis campum petenti, duo itinera offeruntur : unum, quod a *Proskyna* proficiscitur, directum, sed fastidiosum; alterum, quod in multos circuitus flectitur, ruinis distinctum. Namque e *Martini* ad *Dendra* vergit, post viculum *Colaka* petit, cis montes positum qui urbem *Atalanti* supereminent. In hoc autem viculo nonnulli antiqui lapides, nonnulla sepulcra reperiuntur; in ecclesia *Sancti Georgii*, hunc titulum transcripsimus:

ΛΗΣΚΑΙΙΔΥΛΟΣΟΙΑΙ/ . . . . ꓥΟ
ΑΓΕΡΑΕΛΠΙΝΙΚΑΝΙΕΡΗΤΕΥΣΑΣΑΝ
ΑΜΑΤΡΙ ΚΑΙ ΚΟΡΑ

... λης καὶ Ἴδυλος οἱ ......
τὴν μ]α[τ]έρα ου [θυγ]α[τ]έρα Ἑλπινίκαν ἱερητεύσασαν
Δ]άματρι καὶ Κόρα(ι).

(1) Pausan., IX, 24, 5. Cf. Strab., IX, 425.
(2) *Op. cit.*, I, p. 192.

Tum via se in duos calles dividit, quorum unus per saltum *Anarghyri* in *Atalanti* oppidum ducit, alter *Neo-Chori*, pagum desertum, trajicit, et veterem turrim satis intactam prætergreditur, denique *Gardinitsa*, desertum quoque pagum, attingit.

Nec procul hinc extitisse Opuntem Leake contendit (1). In colle enim qui incedenti ad dexteram surgit, veteris cujusdam acropolis vestigia discernuntur; tum in campo, prope pagum *Kyparissi*, in utraque aridi torrentis ripa, solum petris fictilibusque fragmentis sparsum urbem hic fuisse demonstrare videtur. Quin etiam duo funebres tituli ad antiquissimam ætatem pertinentes atque inter has reliquias a nobis reperti (2), angli viatoris conjecturam satis confirmant. Hic itaque Opuntem sitam esse credendum sit, et eamdem opinionem sequitur Bursian, qui urbis acropolim, sicut Leake, in colle prope *Gardinitsa* edito collocat (3). Recenti vero monumentorum quorumdam inventione inclinatus est Koumanoudis ut circa *Atalanti* putaret quærendum esse veteris Opuntis situm (4). Tituli enim in quibus nomen Ὀπούντιοι legitur, Opuntiorum decreta prope *Atalanti* reperta, statuæ, columnæ, varia antiquorum operum fragmenta in vinetis suburbanis, aut ad pontem quemdam urbi vicinum, terra effossa, declarare videntur in hoc loco magnam civitatem ac, sine dubio, totius regionis metropolim, stetisse. Quæ civitas Opusne esset, an, ut censet Bursian,

(1) *Op. cit.*, II; p. 173 sqq.
(2) *Bull. de corr. hellén.*, II, p. 588, n. 6.
(3) *Op. cit.*, I, p. 191.
(4) V. Ἀθήναιον, I, p. 485.

omnes hæ reliquiæ ex Opunte in *Atalanti* oppidum recentius translatæ sint, haud facile est explanare. Germanus tamen geographus *Atalanti* antiquæ urbis locum tenere, Calliari forsan, opinatur (1).

Quod si scriptores interrogamus, nihil fere certius apud eos reperimus. Namque Strabo quindecim circiter stadia ait inter Opuntem et mare fuisse, ab Opunte vero usque ad Cynum sexaginta (2). Quorum numerorum hic cum spatio inter *Kyparissi* et Cynum interposito satis conveniat; ille vero magis congruat cum intervallo quo *Atalanti* a littore separatur. Sed quo modo hic quindecim stadiorum numerus (qui tria ex nostris kilometris non æquat) conciliari queat cum Livii loco in quo affirmat inter Opuntiorum metropolim atque mare mille passus interfuisse (3)? Qui numerus ad illud tantum spatium pertinere posse videtur, quod inter *Kyparissi* et Euripum interjacet. In his igitur indicationibus manifestum est aliquem errorem inesse. Neque illud, quod ait Strabo, Opuntem scilicet Phocensium oppidis Panopei atque Hyampoli, quarum situs est nobis cognitus, finitimam fuisse (4), multum nos adjuvat : verbum enim ὁμορεῖ, quo geographus utitur, nihil certum significat, nec rudera circum *Kyparissi* sparsa potius quam *Atalanti* designat. Castellum vero Œum, quod idem scriptor con-

(1) *Op. cit.*, I, p. 192.
(2) Strab., IX, 425.
(3) Liv., XXVIII, 6.
(4) Strab., IX, 416. — Quo loco saltem Hyampolis extiterit, scimus; sed, si fidendum est tabulæ dictæ *Carte de l'Etat major français*, videtur Panopeos situs cum Strabonis testimonio minime congruere posse.

tendit super urbem fuisse positum (1), haud melius nobis auxiliatur : æque nempe fieri quibat ut unum e collibus *Atalanti* supereminentibus occuparet aut montem teneret prope *Gardinitsa* surgentem, in quo Bursian ejus vestigia apparere putat. Quæ cum ita sint, hæc tantum conjectare licet :

1° Aut reliquiæ circa *Kyparissi* repertæ et illæ quæ prope *Atalanti* inveniuntur duas, ut censet Bursian, urbes indicant. Tum verisimile est *Atalanti* potius quam *Kyparissi* Opuntis locum tenere, quoniam illa Opuntiorum decreta ad *Atalanti* nuper effossa plus auctoritatis quam imprudenter a Strabone ac Livio prodita indicia habere nobis videntur. Tum quoque haud absurdum sit conjicere kyparissiana rudera et ea quæ in colle prope *Gardinitsa* adhuc apparent, veteris Calliari situm arguere; tradit enim Strabo, quo tempore hæc loca peragraret, urbem illam nihil jam nisi fertilem campum fuisse (εὐήροτον πεδίον); inde nomen Καλλιάρου datum (καλοῦσι δ'οὕτως ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος) (2) : nunc autem omnis circum *Kyparissi* campus gnaviter colitur lætumque indigenis frumentum suppeditat.

2° Aut Opus primum ad *Kyparissi*, post ad *Atalanti* sita est. Forsan enim Opuntii, prope *Gardinitsa* quondam habitantes, in *Atalanti* migravere, postquam calamitas quædam publica, sicut terræ motus qui anno 426 factus est, e pristina sede eos expulit. Forsan et pestilentia, cujus apud scriptores mentionem nusquam inve-

(1) Strab., I, 60.
(2) Id., IX, 426.

nimus, ex humili paludosoque campo, quem occupat *Kyparissi*, in altiorem ac salubriorem regionem, in qua urbs *Atalanti* postea ædificata est, illos transtulit. Quidquid id est, notandum est *Atalanti* Opuntis locum, secundum opinionem nostram, indicare.

Priusquam autem *Kyparissi* linquamus, hos funebres titulos, a nobis transcriptos, exhibeamus (1).

In tofacea tabula, prominente balteo circumdata :

NAVSITEΛES Ναυσιτέλης.

Quæ tabula, in alveo torrentis pagum præterfluentis reperta, externum cujusdam domus parietem nunc decorat.

In simili autem tabula, aliam domum ornante, discernuntur tantum litteræ EP.

At urbs *Atalanti* nonnulla antiqua monumenta continet, de quibus postea loquemur. Nunc quosdam titulos referamus.

Ante domum quamdam, in tabula illis simili quas supra memoravimus (2) :

EΨΣAΓNETOΣ

Ἐξάγνετος.

(1) V. *Bull. de corr. hellén.*, II, p. 588, n. 6.
(2) *Ibid.*, p. 588, n. 5.

Hic autem titulus haud procul ab urbe, inter vineta, repertus est.

Ante domum aliam, in tabula priori simili, atque ex eodem loco proveniente (1) :

V Δ A M A N

Πολυδάμαντος.

In domo quadam, marmorea basis e deserto *Sancti Taxiarchis* sacello translata.

IMI	. . . . .
ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕ	ἀρετῆς ἕνε-
ΚΕΝ ΕΠΙΜΕΛΗ	κεν, ἐπιμελη-
ΘΕΝΤΟΣ ΤΗΣ	θέντος τῆς
ΚΑΤΑΣΚΕΥΗΣ	κατασκευῆς
ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ	ἐκ τῶν ἰδίων
ΔΟΡΙΛΙΟΥ	Δοριλίου.

In Ἑλληνικῷ Σχολείῳ, marmorea tabula fastigio decorata.

ΣΩΚΡΑΤΕΑ
ΧΑΙΡΕ

Ante domum, in tabula huic simili :

ΜΕΝΝΕΑ

(1) V. *Bull. de corr. hellén.*, II, p. 588, n. 4.

Neque alia antiquitatis vestigia campus circum *Atalanti* porrectus possidet. Portus enim *Scala*, pagi *Scander-Aga* et *Moulkia*, quos inter via ab *Atalanti* ad *Scala* ducta dirigitur, nihil offerunt quod ad veteres Opuntios spectet. At tres insulæ contra *Scala* positæ, quarum una antiqua est Atalante, a scriptoribus memorata, nihil nisi semiruta sacella ac nonnullas domos desertas dumisque abditas continent.

Pauca rudera et illa pars Locridis exhibet, quæ Epicnemidiis finitima est. Nam si exceperis turres quasdam antiquas ac nonnulla sepulcra quæ in montibus super *Scander-Aga* editis passim occurrunt, nihil prope est in illa regione quod antiquitatem referat. At littus plura et majora præteritarum ætatum monumenta ostendit.

Ex *Atalanti* enim venienti primum *Livanatais* pagus sese offert, quem in duas partes torrens dividit. Tum, si septentrionem petens, paulumque ad orientem vergens, dimidiam horam ultra procedis, tumulus in quo fictilium rerum atque amphorarum fragmenta terram cooperiunt, tibi ante oculos assurgit ; in quo tres aut quatuor fossæ, ab indigenis apertæ, sepulcra designare videntur ; nec procul cernere erat, cum illic adessem, nonnullas ex iis fictilibus tabulis quibus Græci sepulturas tegere solebant. Has autem ruinas Cynum indicare Ross affirmat (1), quam inter atque Opuntem ferax campus interjacebat (2).

In pago autem *Livanatais* nulla veteris structuræ ves-

(1) *Op. cit.*, I, p. 94.
(2) Strab., IX, 425 : ... μεταξὺ δὲ Ὀποῦντος καὶ Κύνου πεδίον εὔδαιμον.

tigia apparent; sed vasta necropolis haud procul panditur, ex qua indigenæ vasa et fictiles figuras quotidie effodiunt. Jamque in eo est ut pauca monumenta locus retineat; nonnulla tamen sepulcra nondum violata sunt, nec temerarium est contendere, si quis hic tellurem strenue ac penitus invertat, satis amplam rerum antiquarum multitudinem eum esse reperturum.

Quod si præter mare incedere perrexeris, *Arkitsa* pagum offendes, deinde in angusto quodam campo qui littori imminet et, meridiem versus, altis montibus intercluditur, veteres petras aspicies ac mœnium fragmenta, urbem hic extitisse declarantia. Pagi autem incolæ aiunt se in hoc loco sepulcra invenisse. Mox littus fit angustius et postquam sacellum *Sancti Nicolai* prætergressus es, saxum arboribus coronatum attingis, in quo Alope fuisse creditur. De qua petræ quædam vasorumque fragmenta nunc restant; e fastigio autem illius collis Euripus late prospicitur et nemorosi saltus saxosaque culmina procul apparent, quæ usque ad Thermopylas continuantur : hic est Opuntiorum terminus.

Nec procul inde torrens fluit, qui Epicnemidiorum finis jure haberi potest. Omnis autem hæc regio, silvosis montibus subjecta, nempe, orientem versus, Cnemidi, ad occidentem vero, Phricio (1), et multis fluminibus irrigata, quorum celeberrimum Boagrius in dextera ripa oppidum fert Thronium, oblectat oculos atque lætam viatori suppetit imaginem. Tum insulæ quædam desertæ a Strabone citantur : quarum maximæ sunt Licha-

(1) Strab., IX, 425; XIII, 621.

des (1). At in viridi littoris sinu viculus quidam occurrit, cui nomen *Sancti Constantini* impositum est; ibi ejusdem nominis monasterium. Et in vicino colle, secundum tabulam dictam *Carte de l'Etat major français*, antiquæ acropolis reliquiæ Daphnuntis situm denotant. Quæ cum Strabonis tempore jam diruta esset, difficile est hodie distinguere quo loco fuerit ædificata; hoc tantum suspicamur, prope *Sanctum Constantinum* vetus oppidum extitisse. Ex sepulcro autem in hac acropoli effosso deprompserunt indigenæ annulum signo ornatum et lapideam quamdam naviculam (long. 0^m,45, lat. 0^m,14) imperitis manibus effectam.

Cum littus sequeris, ad pagum *Neon-Thronion* pervenis, inter arbores prope mare situm. Nihil ferme de antiqua urbe superest, nisi sparsi hinc inde lapides. In Δημαρχία pagi hunc titulum transcripsimus; marmoreæ tabulæ incisum :

ΘΡΟΝΙΕΙΣΕΔΩΚΑΝ
ΕΟΣΑΙΤΩΛΩΙΕΚΦΥ
ΑΙΕΚΓΟΝΟΙΣΤΟΝ
ΓΡΟΞΕΝΙΑΝΙΣΟ
5)ΔΙΚΙΑΝΑΣΥΛΙΑΝ
ΦΑΛΕΙΑΝΚΑΙΓΟ
ΚΑΙΥΑΤΑ

. . . . Θρονιεῖς ἔδωκαν
. . . εος Αἰτωλῶι ἐκ Φυ-
ταίου αὐτῶι κ]αὶ ἐκγόνοις τὸν
. . . προξενίαν, ἰσο-

(1) Strab., IX, 426.

τέλειαν, προ]δικίαν, ἀσυλίαν,
. . . . . . ἀσ]φάλειαν καὶ πο-
λιτείαν..... καὶ κα]τὰ...

Hæc monumenta Epicnemidii offerunt. Pagum enim *Molo*, per quem ad Thermopylas est iter, nihil antiquum continet. Bursian tamen censet mœnia quædam quæ prope Thermopylas extant Nicææ vestigia indicare (1). Sed pleræque Epicnemidiorum urbes ita fuerunt ignobiles, pleræque tam cito exciderunt, ut earum situs vix queat nunc deprehendi.

Itaque, ex omnibus illis civitatibus quæ apud Opuntios et Epicnemidios quondam florebant, quid superest, nisi nomina atque umbræ? Prodest tamen inter rara illa ac diffusa monumenta ambulatio. Namque urbes perierunt, sed manserunt tituli, manserunt marmorum, fictilium figurarum, vasorum testimonia, quæ ad cognoscendos illarum regionum priscos incolas maximum nobis præbent auxilium; nec supervacaneum est campos illos perlustrare et montes et plena admonitionis loca, quæ cum invisimus, veterum Locrorum mores propius intuemur ac vividiorem exacti temporis nobis imaginem effingimus.

(1) *Op. cit.*, I, p. 188.

PARS POSTERIOR

CAPUT I.

DE SACRIS OPUNTIORUM.

Nunc, cum res Opuntiorum memoraverimus opuntiamque terram perlustraverimus, præteritorum temporum vestigia quærentes ubique ac notantes, respiciamus quænam illius gentis indoles fuerit et religionem primum consideremus; tum spectabimus deinde ad civitatis formam atque mores, tum ad litteras, tum denique ad artes, et ingenium nobis repræsentare illius populi conabimur, qui, etsi inter ceteras Græciæ civitates parum enituit, tamen historiam scribentibus non negligendus est.

Pauca de Opuntiorum religione atque sacris antiqui scriptores ac tituli nos docent. Pausanias tamen ait Larymnæ Bacchi templum extitisse (1), prope Cyrtones vero fanum lucumque Apollinis et sacellum Nymphis

(1) Pausan., IX, 23, 7.

consecratum (1), Corseæ denique lucum Mercurio dedicatum (2). At titulus in pago *Colaka* repertus sacerdotem quamdam Cereris ac Prosèrpinæ memorat (3). Tum dionysiacorum artificum decretum, qui Opunte consederant, alludit festis in Apollinis, Mercurii Musarumque honorem celebratis (4). Nec deest tituli fragmentum, ex *Atalanti* proveniens, in quo Serapidis, Isidis, etiam Anubidis nomina discernuntur (5). Postremo, Cæsarum ætate, titulo quodam citatur ἱερεὺς θεοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος (6).

Sed nihil est in his quod proprium Opuntiorum dici possit : namque Bacchus, Apollo, Mercurius, Nymphæ ubique colebantur; quorum templa Pausanias memorat, quia in regione satis inope monumentisque insignibus carente, hæc viatori maxime oculos avertebant. Quod vero ad Cererem et Proserpinam atque ad ægyptios deos Serapin, Isin, Anubin attinet, universa per totam Græciam pietate et ipsi adorabantur. Idem denique de Cæsarum cultu, romanæ dominationis tempore, asseverari potest.

Videtur tamen Junonis cultus in antiqua Tarphe, sive Pharygis, majorem dignitatem habuisse et peculiariter ab Opuntiis fuisse celebratus. Tradit enim Strabo Junonem quamdam Pharygæam illic adorare solitos, quæ ab

(1) Pausan., IX, 24, 4.
(2) Id., IX, 24, 5.
(3) V. supra, p. 40.
(4) Evstratiadis, Ἀρχ. ἐφημ., Β', 1874, p. 490.
(5) Wachsmuth, *Rhein. Mus.*, XXVII, 1872, p. 612-615.
(6) Id., ibid.

argolicis Pharygis originem ducebat (1). At ipsi Pharygarum incolæ argei coloni habebantur. Quidquid id est, fieri potuit ut patrium Argeorum numen, incerta ætate in Locridem translatum, aliquam sibi famam apud Tarphes cives comparaverit. Ceterum hæc fama longius processisse non videtur.

Nihil igitur in Opuntiis invenimus quod clarissimis illis templis assimilari queat quæ in aliis Græciæ partibus extabant; nec erant sacra solennia ad quæ e longinquis regionibus concurreret frequens multitudo; nec dei medici colebantur, quorum laudarentur late miracula somniaque et oracula nunquam fallentia (2). Verum hoc considerandum est, celeberrima adyta circum Opuntios extitisse : hæc igitur forsan causa fuit cur ipsi nunquam habuerint. Nam si Locrorum fines perlustramus, primum ad Thermopylas Cereris offendimus templum, in quo Amphictyones consilium quotannis habebant (3), cum alter anni conventus Delphis sederet. Tum in Phocidem descendentibus, haud procul ab oppido Abis, Apollinis oraculum apparet, quod a Persis, deinde, phocensis belli tempore, a Thebanis crematum, sub romana tamen dominatione etiam colebatur; cujus ruinas Pausanias describit (4). Ecce vero, in montibus qui Copaidi imminent, urbs Acræphia fanum atque ora-

(1) Strab., IX, 426. Cf. Eustath., *In Il.*, p. 277.

(2) Titulus *C. I. G.*, 1755, qui ad Æsculapii cultum pertinet, quemque Opunti Bœckh assignat, ad bœoticam Hyettum est referendus. V. *Bull. de corr. hellén.*, II, p. 502, n. 11.

(3) Strab., IX, 429.

(4) Pausan., X, 35, 1-4.

culum Apollinis Ptoi possidet, ab Alexandro quondam dirutum, cum adversus Thebanos bellum faceret (1). Nec procul a Locrorum finibus illustrissimum Amphiarai situm est oraculum, quod antiquitus institutum magnam ægrotantium turbam spe salutis allicit (2). At in Eubœa, contra littus opuntium, Dianæ Amarynthiæ surgit sacellum, quod et ipsum fama quadam haud caruisse videtur (3). Denique, vix trium dierum itinere separatur Locris a delphico templo, quod septentrionales Græci maxime venerantur atque custodiunt.

Quid autem Opuntiis cum illis templis commune esset, incertum. Conjectare tamen possumus eos hæc frequentare solitos. Nec dubium est quin Cererem prope Thermopylas adoratam peculiari quadam pietate prosequerentur; nam et suffragium in Amphictyonum consilio habebant et participes certe omnium cærimoniarum erant quæ a sacris legatis in honorem deæ celebrabantur. Sic et Abarum atque Acræphiæ templa venerabantur; sic Oropum ibant, ut in Amphiarai ludis certarent; sic Euripum transiliebant, Dianam Amarynthiam adoraturi; sic Phocidis superabant montes, ut Delphorum sacris interessent. Plutarchus autem singularis eorum erga delphicum Apollinem devotionis exemplum prodit (4). Cum enim Phocenses, belli tempore, aurea et argentea dona, quæ deo dedicata fuissent, in pecuniam convertissent, Opuntii omnes argenteos nummos ita factos col-

(1) Pausan., IX, 23, 6.
(2) Id., I, 34, 4.
(3) Strab., X, 448.
(4) *De Pyth. orac.*, 16.

legerunt, si qui intra ipsorum fines essent deprensi, et hydriam ex iis confecerunt, quam Apollini sacrarunt, bonorum ereptorum partem pie restituentes.

Verum, etsi Opuntii ne unum quidem patrium cultum, alicujus celebritatis dignum, habebant, erremus sane si inde conjiciamus nihil in opuntia religione proprium, nihil quod cum incolarum historia arcte conjunctum fuerit, extitisse. Omnibus enim Græciæ gentibus suæ fuerunt fabulæ, quæ cultus informaverunt : quorum alii, jam celebres facti perque totam Græciam vulgati, universam populorum venerationem sibi conciliaverunt; alii vero obscuriores intra fines regionum ubi nati erant, remanserunt. Inter quos numerandi sunt ii qui ad antiquissimas Opuntiorum res pertinent.

Ac primum Prometheos cultum memoremus. De quo apud Opuntios quædam erat fabula, cui Pausanias, Argos describens, alludit. Quænam autem hæc fabula fuerit, non docet, sed aliter ab Opuntiis, aliter ab Argeis narrabatur, atque Opuntiis assentitur Pausanias (1). Quidquid id est, erat Prometheus ex illorum numero qui in Opuntiorum religione locum tenebant. Nec mirum : nam cum originem a Deucalione Opuntii traherent, æquum erat eos conditoris sui parentem memori pietate prosequi.

Tum Promethei adjicienda est Pyrrha. Cujus sepulcrum jam retulimus Cyni a Strabone esse visum (2). Forsan itaque et hæc ab Opuntiis, sicut herois, colebatur.

(1) Pausan., II, 19, 8.
(2) V. supra, p. 2.

Quod si ad alias fabulas transieris, ex his quoque cultus natos esse agnosces. Sic Herculem singulariter Opuntii venerabantur. Illum enim vidimus in Œtæ culmine e flammis ab Jove fuisse ereptum (1). Inde Menœtius, qui cum eo amicitia erat conjunctus, solenne in ejus honorem sacrificium Opunte fecit; aprum mactavit et taurum et arietem, nec postea Opuntii sacras cærimonias in herois memoriam celebrare desierunt (2).

Sed ad trojani belli tempora jam perveniamus. Etsi Patrocli in illis regionibus semper viguit memoria, nunquam heros pro deo habitus est. At illius adolescentis nomen colebatur, quem imprudenter occiderat, quoque occiso, ad Pelea confugerat. Hic autem, Clysonymus ab Apollodoro dictus (3), Æanes a Strabone vocatur : unde videre erat Opunte τέμενος quoddam Αἰάνειον appellatum scatentemque undam quæ dicebatur Αἰανίς (4).

Cum trojana quoque expeditione conjungitur Ajacis cultus, qui apud Opuntios satis popularis fuisse videtur. Ut enim alter Ajax, Telamonis filius, Salaminiorum quasi patronus erat, ita Oilei filius Opuntiorum erat patronus et custos. Sic Pindarus, in carmine quod Epharmosto Opuntio scripsit, aram Ajacis memorat, in qua coronam athleta victricem posuit (5). At Opunte Αἰάντεια

(1) V. supra, p. 6.

(2) Diod. Sic., IV, 39, 1. Hercules autem per totam regionem populari fama fruebatur. In æreo enim Cyni nummo apparet, leonis pelle indutus, dextra scyphum tenens. V. *Bullet. arch. napolit.*, nov. ser., 1858, p. 108, 120, tab. III, n. 11.

(3) V. supra, p. 7.

(4) Strab., IX, 425.

(5) Pind., *Ol.*, IX, 166 sqq.

ludicra celebrabantur (1), atque in prœliis Opuntii Ajacem invocabant (2). Tum credebant eum mortalibus aliquoties apparere ac vulneribus mederi (3). Quidam autem posteriores Opuntiorum nummi Ajacis effigie signati reperti sunt (4).

Hi Locrorum erant cultus patrii. E festis vero diebus nullum prope novimus, aut, si quem cognoscimus, quo modo quandoque celebraretur, nescimus. Præter tamen Herculis sacra quæ, ut in ceteris civitatibus, Ἡράκλεια dicebantur, erant, quæ modo memoravimus, Αἰάντεια. Sed quo tempore fierent, quibus cærimoniis ornarentur, ignoramus. At Ἡράκλεια quotannis celebrabantur; nihil vero testatur Αἰάντεια quoque annua fuisse. De quibus hoc tantum a Tzetze comperimus, navem scilicet, in Ajacis naufragii memoriam, tum incendi solitam esse (5). Funebria nempe, ut videtur, festa erant et publici luctus speciem exhibentia.

Præter autem illas cærimonias, quarum altera cum Opuntiorum historia arctissime erat conjuncta, in honorem Bacchi festi quidam dies Opunte agebantur; quæ Διονύσεια erant appellata. Id saltem ex titulo discimus prope *Atalanti* quondam invento; quo citatur Gnæus quidam Calpurnius Helix, qui agonotheta fuerat in Διονυσείοις τριετηρικοῖς quæ Opunte celebrabantur (6).

(1) Schol. Pind., *Ol.*, IX, 166.
(2) Pausan., III, 19, 12. Cf. Plut., *Conon*, 18.
(3) Id., III, 19, 12-13.
(4) *Museum Theupoli ant. numism.*, II, p. 1285.
(5) Tzetz., *Lycophr.*, 365.
(6) Wachsmuth, *discept. cit.*

Denique, ut supra diximus, Apollinem, Mercurium ac Musas festis quibusdam Opuntii honorabant, in quibus scenici ludi agebantur, a dionysiacis artificibus Opunte residentibus editi (1).

Quod vero attinet ad Opuntiorum sacerdotes, verisimile est iisdem legibus atque in ceteris civitatibus illos fuisse subjectos, neque videntur Opuntii rerum sacrarum ministros dissimiles ab aliis gentibus ac sibi proprios habuisse. Memorat tamen Plutarchus sacerdotem quemdam qui κριθολόγος appellabatur (2) : scilicet hic hordeo examinando erat præfectus, quod templis cives ἀπαρχάς quotannis suppeditabant. Et erant duo apud Opuntios κριθολόγοι, unus nempe deis addictus (περὶ τὰ θεῖα), alter dæmonibus (περὶ τὰ δαιμόνια). Quod munus erat sine dubio veterrimum, cum hordeum antiquitus in sacrificiis usurpatum esset ; erat et Opuntiis omnino peculiare.

De religione autem illius gentis nihil aliud comperimus. Nullus igitur patrius idem atque illustris cultus apud illos fuit, verum deos ab omnibus Græcis adoratos et ipsi adoraverunt ; tum cultus quosdam ignobiles, sed Deucalionis, Pyrrhæ, Herculis, trojanorum heroum fabulas referentes, singulari pietate semper celebraverunt. Nec mirum : pauperes enim abruptorum montium incolæ, pastores, etiam opuntii campi agricolæ non habebant unde magnifice deos colerent. Si Pseudo-Plutarcho credendum est, cum, ut publica facerent sacrificia, Locri bobus carerent, cucumem

(1) Evstratiadis, *discept. cit.*
(2) Plut., *Quæst. græc.*, 6.

quatuor vergis, crura simulantibus, diis offerebant (1). Quod utrum de Opuntiis an de Ozolis dictum fuerit, nescimus, sed cum Opuntiorum paupertate hæc consuetudo satis congruat, qui in perficiendis sacris aliarum gentium splendorem nunquam profecto adæquarunt.

(1) Pseudo-Plutarch., *Proverb.*, 24.

CAPUT II.

DE OPUNTIORUM CIVITATE, LEGIBUS ATQUE MORIBUS.

Paulo plura de Opuntiorum civitate, legibus moribusque tituli et antiqui nos scriptores docent; quanquam et hic sæpe lux deficit nec facile est deprehendere quo modo, annis labentibus, illius populi πολιτεία mutata fuerit.

I. — Heroicis temporibus, Opuntii, sicut omnes Græciæ civitates, regem habuerunt. Ita Deucalionis nepotes, Physcus, Locrus, Opus regnum tenuere (1). Strabo vero, de Ajace locutus, verbo ἐϐασίλευσε utitur (2) : et hic igitur rex Opuntiorum fuit. Unum ergo ducem, unum dominum militari potestate præditum in opuntiæ historiæ originibus invenimus. Quem circum optimates, ut videtur, erant glomerati. Nam veteres illi Λαοί, e lapidibus a Deucalione Pyrrhaque jactis exorti, delectam quamdam hominum gentem genuerant, quæ ceteris regionis incolis principio non commixta est, sed cum civibus qui e

(1) V. supra, p. 4, sqq.
(2) Strab., IX, 425.

variis Græciæ partibus venere, sero societatem fecit (1). Cui Pindarus, in carmine quo Epharmostum laudat, athletam victorem addicit (2). Itaque, ut apud Epizephyrios *Centum gentium* progenies nobilitatem quamdam constituebat (3), ita apud Opuntios Λαοί, in ipsa regione post diluvium nati, principum ordinem sine dubio informaverunt, qui perduravit, quemque Pindarus et æquales ejus etiam venerabantur.

Tum regibus δημοκρατία successit; sed quando hoc aut quam ob causam evenerit, nescimus. Conjicere tamen licet, Persarum irruptionis tempore, Opuntios jamdiu δημοκρατίαν habuisse; ac sine dubio duæ factiones in civitate erant, plebs nempe atque optimates, de imperio, sicut apud ceteras gentes, inter se contendentes. Supra autem memoravimus, circa medium quintum seculum, post pugnam ad Œnophyta commissam, Athenienses in septentrionali Græcia esse dominatos, atque inde populares partes ubique vires acquisivisse (4). Tolmide vero prope Coroneam victo, exules locri in patriam redierunt, rursusque optimatum ordo caput extulit.

At Opuntios videmus mature Amphictyonum consilio aggregatos esse. Ætas vero qua sacrum conventum intraverint, ab historicis certe temporibus remotissimum, nos fugit. Sed a principio amphictyonici profecto facti sunt, cum Meliensibus, Œtæis, Perrhæbis, Dolopibus,

(1) Pind., *Ol.*, IX, 68 sqq.
(2) Id., ibid., 80.
(3) Polyb., XII, 5-6-7.
(4) V. supra, p. 15.

Magnetibus, Ænianibus, gentibus scilicet obscuris, quæ, postquam aliqua celebritate inclaruerunt, in noctem tanquam evanuerunt. Erant et insigniores populi, sicut Thessali, Phocenses, Dores, Iones, Bœoti (1). Opuntiis autem unum suffragium in consilio assignatum erat, Ozolis unum (2). Unde, etsi omnes opuntiæ civitates erant liberæ ac suis ipsæ legibus se gubernabant, hoc amphictyonici cœtus vinculo inter se connectebantur atque in universa Græcorum multitudine definitam quamdam fingebant societatem.

Galaxidiani tantum tituli tempore certa quædam de Opuntiorum populari civitate discimus. In hoc enim videmus primum rei publicæ magistratum archontem, aut potius ἀρχόν, appellatum esse (3). Hoc et Thessali nomen magistratibus suis imponere solebant (4). Ille autem ἀρχός ad tempus erat electus, quod titulus ita eloquitur : « ... Judicium in reum ante tricesimum diem constituito, si sit tringinta dies in munere etiam mansurus (5). » At legimus apud Aristotelem primum in Opuntiis magistratum perpetuum fuisse : sic interpretamur saltem locum quemdam *Rei publicæ* ad regem regnumque pertinentem (6). Qui quo modo cum galaxidiano titulo conciliari potest? Videtur Vischer aliquem Aristotelis errorem sus-

(1) V. Foucart, *discept. cit.*, *Dictionnaire des antiquités grecques et romaines*, s. v. *Amphictyones*.

(2) Pausan., X, 8, 5.

(3) Vers. 41-42.

(4) Dion. Halic., V, 74.

(5) Vers. 42-43.

(6) *De re publ.*, III, 11, 1, ed. Didot.

picari (1). Quid vero impedit quin hunc locum ita intelligamus? « ... Rex enim secundum legem dictus formam, ut diximus, civitatis non constituit; namque in omnibus civitatibus existere potest perpetuum imperium, ut in δημοκρατίᾳ et ἀριστοκρατίᾳ, multique populi unum civem rerum gerendarum dominum faciunt. Talis Epidamni magistratus est atque Opunte, etc. (2). » Quod, nostra saltem opinione, significat in multis civitatibus unum virum res publicas administrare, cujus imperium ab Aristotele intra certos temporis fines non includitur, sed id tantum cum rege hic habet commune, quod solus est civitatis rector; alii vero cum rege sunt comparandi, quia potestatem perpetuam exercent; horum perpetuitas, illius solitudo regem arguit. Sic cum galaxidiano titulo Aristotelis locus congruere queat. Quæ quidem explicatio si displiceat, titulo quam scriptori credere malimus, quia corrupta sunt forsan scriptoris verba, cum titulus adsit et firmissimum nobis testimonium afferat.

Nunc cum admiserimus principem Opuntiorum magistratum ad tempus electum fuisse, quamdiu munus suum retinuerit, inquirendum sit; sed nihil est obscurius. Fieri tamen potuit ut quotannis mutaretur, verum hoc nihil confirmat. Quisnam vero eligendi modus fuerit, pariter ignoramus. Hoc tantum pro certo habere possu-

(1) *Discept. cit.*, p. 72.

(2) Ὁ μὲν γὰρ κατὰ νόμον λεγόμενος βασιλεὺς οὐκ ἔστιν εἶδος, καθάπερ εἴπομεν, πολιτείας · ἐν πάσαις γὰρ ὑπάρχειν ἐνδέχεται στρατηγίαν ἀΐδιον, οἷον ἐν δημοκρατίᾳ καὶ ἀριστοκρατίᾳ, καὶ πολλοὶ ποιοῦσιν ἕνα κύριον τῆς διοικήσεως · τοιαύτη γὰρ ἀρχή τίς ἐστι καὶ περὶ Ἐπίδαμνον, καὶ περὶ Ὀποῦντα δὲ, κτλ.

mus (nam Aristoteles in eo cum galaxidiano titulo consentit), unum scilicet magistratum extitisse.

Tum, præter hunc, erat mille civium contio quæ de publicis commodis deliberabat (1). Non igitur universus populus, sed pars res civitatis tractabat, quod maxime cum Opuntiorum sensu convenit, qui illo tempore sane ἀριστοκρατίας etiam mores retinebant. Quæ rei publicæ forma eis, secundum Vischer, communis cum Epizephyriis erat et Colophoniis et Agrigentinis et Rheginis et Æolibus Cymen habitantibus, apud quos legum ferendarum penes mille cives erat potestas (2).

A galaxidiano autem titulo usque ad secundum a. C. n. seculum, nullum pæne documentum de Opuntiorum civitate habemus. At ex titulo qui ad secundum a. C. n. seculum est referendus, discimus Opuntios atque Epicnemidios societatem quamdam informasse, quæ κοινὸν τῶν Λοκρῶν τῶν Ἠοίων erat appellata (3). Hic autem titulus ad honores pertinet Cassandro cuidam, Menestheos filio, non modo a Locris, sed a variis aut fœderatis aut liberis civitatibus concessos. Quando vero Orientales Locri se in κοινόν constituerint, ignoramus; quanquam suspicari licet eos, cum floreret in septentrionali Græcia Ætolorum fœdus, similem tum societatem effinxisse. Neque leges illius κοινοῦ novimus. In quo civitas quæque, sine dubio, sicut in fœdere bœotico atque in omnibus Græciæ paribus κοινοῖς, se ipsam regebat. In titulo enim Thronii reperto, qui, si credimus ætati quam ei Bœckh assi-

(1) Vers. 39-40.
(2) Vischer, *discept. cit.*, p. 70.
(3) E. Curtius, *Denkmäler und Forschungen*, 1855, n. 75, p. 40.

gnat, Locris jamdudum fœdus informantibus, scriptus fuerat, civitatis ducem archontem invenimus, cujus nomine publica decreta notantur. Tum, præter hunc, γραμματέως ac ταμίου fit mentio. Leges vero faciunt βουλή quædam et contio popularis (1). Proxeniæ autem decretum ab Opuntiis sancitum archontem pariter atque γραμματέα (si quidem jure vocabulum ἐγραμμάτευε Bœckh restituit) memorat (2). Antiquum, ut apparet, nomen ἀρχός obsoletum est et in ejus locum vocabulum ἄρχων, a plerisque Græciæ civitatibus usurpatum, successit. Verum nihil nos admonet summum quemdam magistratum universo fœderi præfuisse, sicut mos apud Bœotos erat (3).

Locros autem, quamdiu κοινόν constituunt, arcte cum Ætolis conjunctos videmus. Ætolorum enim socii sunt priusquam Romani in Græciam veniant; Ætolis redduntur, postquam Flamininus libertatem Græcis denunciavit (4). Quæ cum Ætolis amicitia etiam titulis confirmatur. In titulo enim prope Thronium invento, quem supra retulimus (5) (nempe is, ex litterarum forma, ante Græciam in provinciam redactam scriptus fuisse videtur), proxeniam datam esse discimus Ætolo cuidam Phytæo oriundo, quæ civitas erat satis ignobilis, a Polybio tamen Stephanoque Byzantino memorata (6). Tum

(1) *C. I. G.*, 1751.
(2) *C. I. G.*, 1752.
(3) Cf. bœoticos titulos quorum initium hoc est : τοῦ δεῖνος ἄρχοντος Βοιωτοῖς, ἐπὶ πόλιος δὲ τοῦ δεῖνος. Forsan apud Locros supremus fœderis dux Opuntis archon erat.
(4) V. supra, p. 28.
(5) V. supra, p. 48.
(6) Polyb., V, 7, 7; Steph. Byz., s. v. Φυταῖον.

postea, sub Romanorum dominatione, aliud decretum, ab Opuntiis factum, Antiphilo, Thrasymedeos filio, proxeniam pariter tribuit (1).

Societatem quoque aliquam inter Locros ac Thessalos in titulo satis corrupto deprehendimus, quem ad illam ætatem et ipsum pertinere opinamur, qua liberum etiam Locrorum fœdus erat (2). In quo, ut videtur, de pacto inter duas gentes icto mentio fit, sed naturam illius pacti nescimus. Legimus autem, vers. 4 : τὸ κοινὸν Λοκ[ρῶν...], quo demonstratur fœdus illo etiam tempore hoc nomen retinuisse. Forsan verbo Λοκρῶν erat τῶν Ἠοίων appositum; verum hoc loco marmor deficit.

Postremo, bœoticus quidam titulus, quem Keil edidit (3), hæc continet : τὸ τῶν Ἀχαιῶν καὶ Λοκρῶν καὶ Φωκέων καὶ Εὐβοέων κοινόν. Unde videntur Achæi, Locri, Phocenses atque Eubœenses inter se consociati fuisse; quanquam ignoramus utrum Opuntios an Ozolas verbum Λοκρῶν designet; ad utrosque forsan est referendum. Sed hic titulus multo posterior est quam illi quos supra memoravimus : namque M. Aurelii temporibus assignandus esse videtur (4).

(1) Ἀθήναιον, I, p. 485.

(2) Ibid., I, p. 489.

(3) *Syll. inscr. bœotic.*, n. 31.

(4) V. Keil, *op. cit.*, n. 31. Cf. *C. I. G.*, 1625. — His fœderibus, quorum pleraque Opuntiis erant finitima, quæque cum iis satis conjuncta fuisse videntur, et aliud forsan adjiciendum est, Œtæorum scilicet fœdus, quod cum Ozolis, forsan etiam cum Opuntiis societatem habuit, ut apparet ex titulo recentissime a Beaudouin ad antiquam Drymæam reperto; quo cives quidam citantur e variis Ozolarum urbibus oriundi, quidam etiam Halis Opuntiorum nati. V. *Bull. de corr. hellén.*, V, p. 137 sqq.; v. Halæos, p. 140, vers. 19.

Romani autem primum κοινά aboleverunt; deinde, innoxia judicantes, restituerunt (1). Sed tum nomen κοινόν Locri non retinuerunt; nam in decretis prope *Atalanti* nuper effossis ac, secundum Koumanoudis, ad imperii romani principia pertinentibus, ita appellantur: Ὀπούντιοι καὶ Λοκροὶ οἱ μετὰ Ὀπουντίων (2). Unde intelligimus, Romanorum tempore, urbem Opuntem majorem dignitatem, quam antea, obtinuisse et vere Locrorum fuisse metropolim; quam circum omnes Opuntiorum atque Epicnemidiorum civitates erant glomeratæ. Tum profecto hac appellatione Λοκροὶ οἱ μετὰ Ὀπουντίων, Orientales Locri ab Occiduis distinguebantur. In illa autem societate, unus magistratus, archon denominatus, civitati præerat (3), et quanquam ceteræ civitates archontes suos retinebant, suspicari licet Opuntis archontem superiorem quemdam magistratum fuisse, vel pristino ἀρχῷ vel illi forsan archonti parem, qui ante Romanorum adventum Opunte imperabat (4).

II. — Nunc, quænam fuerunt illius populi leges? Quænam opuntiarum legum fuit natura et tanquam indoles? Sæpe ab antiquis scriptoribus Epizephyriorum jus laudatur. Quod, septimo a. C. n. seculo a Zaleuco constitutum litterisque mandatum, summa æquitate summaque stabilitate erat insigne. His enim legibus sine dubio alludit Demosthenes in oratione *Contra Timocratem*, cum

(1) Pausan., VII, 16, 9-10.

(2) Ἀθήναιον, I, p. 484 sqq.

(3) V. Ἀθήναιον, I, *l. c.* Cf. Evstratiadis, Ἀρχ. ἐφημ., B', *discept. cit.*; Wachsmuth, *Rhein. Mus.*, XXVII, *discept. cit.*

(4) V. supra, p. 65, n. 3.

Locrorum prudentiam prædicat, qui, ne factiosorum virorum consiliis civitas turbaretur, jusserant omnem civem, si quis novam legem suadere vellet, laqueo collum cingente, in contionem prodire; tum, si lex bona judicaretur, incolumem dimitti; si mala, strangulari. Inde addit Demosthenes ducentos annos Epizephyrios ab omni novitate leges suas defendisse (1). Quas Pindarus quoque his verbis extollit :

Νέμει γὰρ Ἀτρέκεια πόλιν Λοκρῶν
Ζεφυρίων (2).

Idem autem Plato (3) et Ælianus (4) sentiunt.

De Opuntiorum autem jure omnes pæne scriptores silent, neque scimus an illorum leges cum Epizephyriorum legibus essent comparandæ. Suspicamur tamen eos his quoque inclaruisse; nam, etsi perpauca nobis de opuntiis legibus tradita sunt, non videtur Pindarus temere hæc de Opunte urbe dixisse :

Ἂν Θέμις θυγάτηρ τε οἱ

(1) Demosth., *Contra Timocratem*, 139-142. Demosthenes verbo Λοκροί utitur, epitheto nullo addito; quo non videtur Opuntios designare, quorum leges, illa ætate, sæpe jam mutatas fuisse verisimile est. Tum, ex universa loci specie atque usu verborum λέγεται, λέγονται, jure conjici potest ad remotam quamdam gentem oratorem spectare. Aliter enim de Opuntiis loquatur, Atheniensium vicinis cumque iis continuum prope commercium habentibus. De Ozolis vero certe non agitur, quorum leges nullam apud antiquos famam adeptæ sunt.

(2) Pind., *Ol.*, X, 17.

(3) Plat., *Leg.*, I, p. 638 b ; cf. *Tim.*, p. 20 a.

(4) *Var. histor.*, II, 22. De Zaleuco autem, cf. id., ibid., II, 37, et III, 17

Σώτειρα λέλογχεν
μεγαλόδοξος Εὐνομία (1).

Tum in memoriam nostram revocemus epitaphium illud quod ad Thermopylas in funebri columna legebatur, in quo Opus εὐθυνόμων Λοκρῶν dicebatur metropolis (2). Unde Opuntios antiquissimis sane atque æquissimis legibus usos esse verisimile est, quas veteres admiratione quadam prosequebantur.

Ex illis autem legibus scriptores nullam nobis prodiderunt. Forsan tamen ad Opuntios spectat Aristoteles, cum scribit : « Apud Locros est lex qua venditio prohibetur, nisi in manifesta calamitate; sed antiquas hereditates servare lex jubet (3)... » Quibus verbis fieri potest ut Epizephyrios designet; verum ad Opuntios hæc pertinere C. Muller censet (4). Nulla autem alia lex Opuntiorum a scriptoribus relata est.

Plura ex lapidibus discimus et galaxidianus titulus multa nobis indicat. Namque primum jura et officia colonorum exponit; deinde nonnullas alias leges memorat, quarum cognitio nobis haud mediocriter prodest ut justam de Opuntiis opinionem concipiamus. Sed legem ipsam nunc consideremus.

Principio religionem curat. Opuntius enim colonus, cum erit civis Naupacti, sacra Naupactiorum publica par-

(1) *Ol.*, IX, 24.
(2) Strab., IX, 425. V. supra, p. 14.
(3) *De re publ.*, II, 4, 4, ed. Didot.
(4) *Fragm. historic. græcor.*, ed. Didot, II, p. 146, col. 1.

ticipabit (1). Nempe hæc sacrorum communio omnis societatis apud antiquos prima condicio est.

Deinde colonus civilem Naupacti gradum adipiscetur cum vectigal (τέλος) solvet; nam vectigalis pensio civem facit. Nihil igitur ei jam pendendum erit apud Hypocnemidios (2), sed omnia vectigalia quæ ab Occiduis Locris penduntur, et ipsum pendere oportebit; quod si fugit atque recusat, in exilium agetur, donec debita Naupactiis restituerit (3).

Sed, ut vectigal pendat colonus, necesse est in nova civitate possideat et possessionem leges tueantur. Quare, quæ in Naupactiis possidet, ea Naupactiorum legibus jam subjecta erunt. Verum apud Hypocnemidios quoque jus possidendi retinet; tum, quæ in Hypocnemidiis possidet, Hypocnemidiorum legibus erunt obnoxia (4). Facultatem vero habet fortunas suas herediis amplificandi, ac, si pater in Hypocnemidiis moritur, succedit (5); sin autem ipse moritur, nec propinqui adsunt Naupacti, qui hereditatem obeant, propinquorum proximus, undecumque sit oriundus, heres fit, hac condicione, ut intra tres menses jus suum persequatur; si hoc negligit, bonis defuncti secundum Naupactiorum leges uti licet (6). Quod si fratres habet in Hypocnemidiis, fratres Naupacti, illi cum his succedunt (7). Sic inter

(1) Vers. 1-4.
(2) Vers. 4-6.
(3) Vers. 14-16.
(4) Vers. 22-27.
(5) Vers. 35-37.
(6) Vers. 16-19.
(7) Vers. 29-31.

heredes, non negligitur is qui aut proximus adest propinquus regionem habitans quamlibet, aut frater in Hypocnemidiis relictus; sed illis intra tres menses repetitio, his cum Naupactiis fratribus participatio imponitur; omni modo heredes coloniam incolentes præferuntur.

At lex non curat tantum colonorum sacra, vectigalia, possessionem, hereditates; verum et providet ne coloniam deserant coloni. Atque hoc quod præscribit, ut paternam hereditatem adeundi jus habeat colonus, etiamsi pater apud Hypocnemidios decesserit, huc tendit, ut Naupacti novi incolæ retineantur, cum sine defectione fortunas augere possint. Sed alium quemdam retinendi modum lex invenit. Nempe si colonus ad Hypocnemidios redire vult, necesse est discessus in Naupacti foro sit denunciatus, denunciatus quoque apud Hypocnemidios, in urbe unde oriundus est is qui discedit (1). Tunc oportet eum sive filium adultum sive fratrem Naupacti relinquere. His tantum condicionibus patriam revisere potest, atque ἐνετηρίων (quæ quid significent, parum liquet) esse incolumis. Nunquam, nisi imperante quadam necessitate, illi conceditur ut cum tota familia ad Hypocnemidios revertat (2).

Cui legi, cum promulgata fuit, cuncti juraverunt coloni se obtemperaturos esse; tum, post triginta annos, centum Opuntiorum centumque Naupactiorum consilium jurejurando colonum solvere potest, atque Hypocnemidiis reddere (3). Sed dum jusjurandum stat, si quis vio-

(1) Vers. 19-22.
(2) Vers. 6-10.
(3) Vers. 12-14.

laverit, mille Opuntiorum plerorumque colonorum consilio judicetur; a supremo autem opuntiæ civitatis magistratu, ab ἀρχῷ scilicet, puniatur (1).

Apparet igitur ex his Opuntios, quinto jam a. C. n. seculo, amplo legum corpore fuisse instructos. Quæ quam doctæ essent, quamque diligenter elaboratæ, ex hoc specimine æstimare possumus.

Sed diximus galaxidianum titulum de quibusdam aliis Opuntiorum legibus nos certiores facere. Primum enim videmus omnes civitates quæ, sub imperio aut auctoritate saltem Opuntis ἀρχοῦ, Opuntiorum rem publicam constituebant, suis quamque legibus usas esse. Quod ex sequentibus tituli locis conjicere licet: « ... Bona colonorum in Hypocnemidiis sita Hypocnemidiorum leges regunto, ut in quaque Hypocnemidiorum civitate mos se habet, » ὅπως ἁ πόλις Fεκάστων νομίζῃ Λοκρῶν τῶν Ὑποκναμιδίων (2). Item: « Si quis, colonorum leges observans, Percothariam aut Mysacheon regreditur, civitatis suæ legibus jam obnoxius esto, » τοῖς αὐτῶν νομίοις χρῆσται κατὰ πόλιν Fεκάστους (3). Tum: « Si fratres sunt colono Naupactum habitanti, illi succeduntο, ut cujusque Hypocnemidiorum civitatis lex jubet, » ὅπως καὶ Λοκρῶν τῶν Ὑποκναμιδίων Fεκάστων νόμος ἐστί (4). Unde manifesto apparet omnes Opuntiorum civitates proprias suas leges habuisse; quo confirmatur etiam id quod conjecimus,

(1) Vers. 38-44.

(2) Vers. 22-27. — Verbum Λοκρῶν in hoc loco litteram *koppa* pro κ exhibet.

(3) Vers. 27, 28.

(4) Vers. 29, 30.

Opuntem scilicet atque magistratum in hac urbe imperantem super omnes Orientales Locros dominationem quamdam exercuisse : namque lex de Naupacti colonia, Opunte sine dubio scripta, aliquam communitatis præ se fert speciem, cum ceteræ leges, quibus alludit titulus, inter leges illas sint numerandæ, quibus singulæ Opuntiorum civitates peculiariter utebantur.

Tum ejusdem tituli locus ad Opuntiorum judicia spectat (1). Lex enim beneficia quædam apud Opuntios judices colonis pollicetur, (τὰν δίκαν) ἀρέσται καὶ δόμεν ἐν Ὀπόεντι κατὰ Fέ[τ]ος αὐταμαρόν. Erant igitur apud Opuntios judicia bene constituta ; quæ penitus ignoramus, neque scimus qua ratione cum Atheniensium judiciis essent comparanda. Comperimus tamen ea extitisse. Apud Opuntios autem judices colonis προστάτης aderat.

Postremo, ἀτιμίαν lex indicit in eos qui pactum violaverint (2). Hæc igitur pœna apud Opuntios, sicut apud Athenienses, in usu erat. Quænam autem ἀτίμου erat in Opuntiis condicio? Nempe, tanquam Athenis, ἄτιμος fiebat capite deminutus. Ἀτιμίαν vero, ut videtur, bonorum publicatio consequebatur.

Hæc de Opuntiorum jure e galaxidiano titulo discimus. Sed ea ad certum quoddam et antiquum tempus pertinent. Post, quibus modis jus illud mutatum fuerit, qua ratione cum finitimarum gentium, Bœotorum, Phocensium jure sensim coaluerit, non liquet. De proxenia vero Opuntiorum quædam titulis nobis tradita sunt (3);

(1) Vers. 32-35.
(2) Vers. 38-44.
(3) Cf. supra, p. 65.

sed ab aliarum gentium proxenis opuntius proxenus nihil videtur diversus fuisse : habet enim, sicut alii, πολιτείαν, γᾶς ἔνκτησιν καὶ οἰκίας, ἀσφάλειαν, etc.

III. — Nunc Opuntiorum mores studiaque privata necessarium sit considerare; perspicere oporteat qui fuerint usus veteres, quæ domestica in defunctos pietas, quo modo gens fuerit constituta, quem locum in gente femina tenuerit. Erat enim in his sine dubio proprium quiddam ac peculiare : sed, deficientibus documentis, illa, tot seculis a nostra ætate separata, nos fugiunt.

Hoc tamen animadvertendum est (nec semel notavimus) bellicosos periculique amantes Opuntios fuisse. Ut omnes populi quibus incerti fines continuam prope belli occasionem suppetunt, militibus vigebant, et, quanquam in illorum agro, sicut in pluribus Bœotiæ locis, nunquam reperti sunt tituli longos militum indices exhibentes ac Bœotorum militaria instituta, imperia, arma nos docentes, scimus profecto eos, trojanæ expeditionis tempore, exercitum jam validum ac numerosum habuisse. Levi autem armatura præcellebant (1) : namque Ajacis milites neque galea neque scuto neque hasta erant armati, sed arcu pugnabant (2). Verum equite præcipue, ut videtur, erant pollentes. Memoravimus enim eos, peloponnesiaci belli ætate, maximam equitum partem Lacedæmoniis præbuisse (3). Tum in prœlio apud De-

(1) V. supra, p. 7.
(2) *Il.*, XIII, 714 sqq. Item in peloponnesiaco bello Ozolæ levem armaturam Atheniensibus suppeditabant. V. Thuc., III, 97, 2.
(3) V. supra, p. 20.

lium opuntius eques victoriæ causa fuit (1). Nec procul Opunte equariæ erant (2); nempe opuntius campus mirum equis spatium suppeditabat.

Opuntii autem, agricolæ prope Opuntem, pastores vero in montibus facti, gentis robustæ durisque laboribus exercitæ speciem offerunt. Quare apud eos, sexto a. C. n. seculo, invenimus athletam a Pindaro illustratum, Epharmostum scilicet, qui παλαιστής erat, neque Olympiæ modo vicerat, sed in Isthmiis, eodem die quo Lampromachus frater, athleta et ipse clarissimus (3); tum Corinthi quoque et Nemeæ (4) atque ad Argos palmas retulerat, et Athenis puer victor evaserat (5); nec non et Marathone, Herculis festis (6), et apud Parrhasios, Jovis Lycæi solennibus (7), et Pellenes (8) et Thebis et Eleusine coronatus fuerat (9).

Laudabatur quoque apud Opuntios alius athleta, Rexibius nempe παγκρατιαστής, qui circa Ol. LXI floruerat. Cujus statua Olympiæ, Pausaniæ etiam tempore, conspiciebatur; erat autem lignea mirumque oculis antiquissimæ artis exemplar offerebat (10).

Ceterum apud omnes Græcos Opuntiorum robur mi-

(1) V. supra, p. 22.
(2) Aristot., *Hist. anim.*, VI, 22, 5, ed. Didot.
(3) Pind., *Ol.*, IX, 123 sqq.
(4) Id., ibid., 128-132.
(5) Id., ibid., 132, 133.
(6) Id., ibid., 134 sqq.
(7) Id., ibid., 143 sqq.
(8) Id., ibid., 146 sqq.
(9) Id., ibid., 148 sqq.
(10) Pausan., VI, 18, 7.

raque in ludis felicitas erat famosa. Unde hæc de Opunte Pindarus :

> Θάλλει δ'ἀρεταῖς, ἴ-
> σον τε Κασταλίᾳ παρ' Ἀλ-
> φειοῦ τε ῥέεθρον·
> ὅθεν στεφάνων ἄωτοι
> κλυτὰν Λοκρῶν ἐπαείρον-
> τι ματέρ' ἀγλαόδενδρον (1).

Sed ex omnibus victoribus Epharmostus maximam apud Opuntios famam obtinuisse videtur; libet enim illius memoriam deprehendere in titulo quodam a nobis prope *Martini* reperto; quem supra edidimus (2). In quo Epharmastum olympici victoris nomen referre facile conjecerimus, sive lapicida erravit, seu nomen, annis labentibus, corruptum est : verum, ut posteriorum temporum artifices præclari sæpe artificis nomen usurpabant, cujus opera omnis Græcia mirabatur (3), ita fieri potuit ut iisdem temporibus athletæ veterum athletarum nomina sibi tribuerent, quorum fama late diffusa esset, atque eos sibi tanquam patronos vindicarent. At illa φιλογυμναστῶν societas nobis minime cognita est. Forsan ephebicis titulis titulus ille est adjiciendus.

De Opuntiorum moribus nihil prope aliud novimus. Qui cum civitate bene constituta et prudentibus legibus et virtute et robustis membris fruerentur, inter ceteros

(1) Pind., *Ol.*, IX, 27-33.
(2) V. p. 37.
(3) V. G. Hirschfeld, *Tituli statuariorum sculptorumque græcorum*, p. 45 sqq.

septentrionalis Græciæ populos validi sane atque politi habebantur. Quid autem de his censuerunt Athenienses, alienorum nempe vitiorum bonorumque haud æqui semper, etsi non illepidi æstimatores? Aristophanis scilicet quidam versus aliqua in Opuntios contemptione non immunis esse videtur. Namque in comœdia quæ *Aves* inscripta est, quidam exclamat :

Ἀλλ' ἔγωγ' Ὀπούντιος
οὐκ ἂν γενοίμην ἐπὶ ταλάντῳ χρυσίου (1).

Suidas vero nos monet ambiguam verbi significationem in hoc versu inesse; Ὀπούντιος nempe cæcitatem indicare (2). Sed nihilominus Opuntios mordet poeta. Quod parum mirabimur, si in memoriam revocaverimus illam comœdiam anno 414 repræsentatam fuisse, cum in Sicilia bellum gereretur, atque Opuntii, Lacedæmoniorum socii, Athenis sine dubio male audirent.

(1) *Av.*, 153.
(2) Suid., s. v. Ὀπούντιος.

CAPUT III.

DE ALPHABETO, LINGUA ET LITTERIS.

Apud antiquos scriptores inquirendum est an Opuntii proprium quoddam litterarum genus habuerint. Sed de alphabeto primum atque lingua pauca dicenda sunt.

I. — Ex antiquissimis titulis in Opuntiorum agro repertis aut ab Opuntiis manifesto conscriptis alphabetum illis locis usitatum integrum restituere possumus. Opera autem in quibus illi tituli fuerunt editi, hæc sunt :

Οἰκονομίδης, Ἐποίκια Λοκρῶν γράμματα, etc. — *Patto colonario de' Locri*, Athenis, 1869;

Bulletin de correspondance hellénique, II, p. 588, tab. XXVI, n. 4, 18, 20, 26, 27. V. supra, p. 44, 45; cf. infra, cap. IV.

De opuntio vero alphabeto, vide :

Kirchhoff, *Studien zur Geschichte des griechischen Alphabets*, 1877, p. 136, 137, tab. II, n. V c;

Fr. Allen, *De dialecto Locrensium*, in *Studien zur griechischen und lateinischen Grammatik*, ed. a G. Curtius, III, p. 215-218 (1).

(1) Cf. G. Kœrte, *Mitth. d. d. arch. Inst. in Athen*, IV, p. 271, n. 1.

Allen autem illius alphabeti litterarum tabulam fecit, quam, neglectis Ozolarum litteris, hic excribimus; cui nonnullas etiam formas, quas tituli a nobis ipsis reperti suppeditavere, addidimus.

A A A A	N
ᛒ	O
(Γ Λ	Π
▷	ϙ
E E	R P
Ϝ	Σ Σ
I	T
ꟷ H	V
⊕	+
I	Φ
K	Ψ
Λ Λ Λ	Ж
M	

Ad has igitur formas opuntium alphabetum reduci potest. Qua in tabula litteræ ab Allen transcriptæ ex titulo galaxidiano depromptæ sunt, quem, Opunte scriptum, jure conjicimus alphabetum indicare in priore quinti seculi parte ab Opuntiis usurpatum. Ceteras autem litteras tituli nostri suppetunt.

Inter quas signum ꟷ maxime nobis videtur dignum quod consideretur. In titulo autem occurrit qui vas prope *Livanatais* repertum decorabat, quique stilo quodam

erat incisus (1); ac primum in opuntio apparet alphabeto, nam galaxidianus titulus tantum H continet. Quo tempore igitur hunc titulum edidimus, dubitavimus illud ⊟ cum simili signo, bene noto, æquare, quo nunc η, nunc spiritus asper repræsentari solet. Sed cum littera negligenter esset delineata, lectionem [τ]ά proposuimus. Nunc vero nos erravisse libenter agnoscimus. Tituli enim naturæ habenda est ratio, qui, stilo incisus, non est comparandus cum titulo æri aut marmori insculpto. Nihil ergo mirum, si signum ⊟ paulum discordat ab illa forma quam in titulis plerumque offert; sed nihilominus pro ⊟ haberi debet.

Quid igitur significat ⊟ cum α compositum? Nempe asperum spiritum sine dubio indicat. Quod cum ita sit, nihil illæ litteræ aliud repræsentare posse videntur, nisi ἅ, neutrum scilicet plurale possessivi prænominis ὅς, ἥ, ὅν, quo epici maxime poetæ utuntur. Quæ conjectura sola est quæ admitti queat, si quidem ⊟ asperum spiritum exprimere jure crediderimus. De tituli autem natura atque sensu infra disputabimus.

Quod ad ceteras Opuntiorum litteras attinet, doctissimas animadversiones lectorem adire jubebimus, quas de his Allen conscripsit (2).

II. — Idem vero opus consulendum est de Opuntiorum lingua (3). Dorice loquebantur Opuntii, sed mitigata

(1) V. *Bull. de corr. hellén.*, II, p. 588, n. 1, tab. XXVI, n. 27. — Cf. infra, cap. IV.

(2) *Discept. cit.*, p. 216-218.

(3) V. totam disceptationem, p. 207-279.

erat illa dorica dialectus, aut potius sermone quodam utebantur inter meram et mitigatam doricam dialectum medio, non sine affinitate aliqua cum æolico Bœotorum dicendi genere. Post Allen autem, post accurate elaboratam disceptationem, quam, auxiliantibus Opuntiorum atque Ozolarum titulis, de Locrorum dialecto et grammatica composuit, temerarii profecto videamur, si aggrediamur de opuntio sermone nunc disserere. De quo, ante Allen, Ahrens pauca nos docuerat (1); nam documenta tum deerant. De eadem vero materie, et Evstratiadis consuli potest, Ἀρχ. ἐφημ., Β', *discept. cit.*

Unum quiddam addiderimus, ex titulis nostris depromptum, de orthographia. Nempe, in antiquissimo scribendi genere, duplex littera ξ duabus simplicibus litteris χσ efficiebatur, sicut apud Athenienses (2).

III. — De scriptoribus autem Opuntiorum nihil prope comperimus. Scilicet ex Opuntiis, Ozolis, Epizephyriis, hi tantum aliquam in litteris famam adepti fuisse videntur, et quoties antiqui libri poetam quemdam locrum memorant, Epizephyriis is est assignandus. Quod confirmat Pindarus in decimo Olympicorum carmine, ad Epizephyrium Agesidamum pertinente (3) :

Νέμει γὰρ Ἀτρέκεια πόλιν Λοκρῶν
Ζεφυρίων · μέλει τέ σφισι Καλλιόπα
καὶ χάλκεος Ἄρης.

Nec immerito : namque tradita est nobis Xenocriti

(1) *De græc. ling. dial.*, I, p. 234, 2. Cf. II, p. 11.
(2) V. supra, p. 44, Ἐξάγνετος.
(3) Pind., *Ol.*, X, 17 sqq.

cujusdam memoria, qui apud Epizephyrios florebat, quique cæcus dithyrambos pæanasque scripserat (1). Tum novimus quoque Nossim poetriam (2), clarumque citharœdum, nomine Eunomum, qui poeta non erat, sed poetarum carmina mirifice interpretabatur (3). Verum ex illis nihil ad nos pervenit. Ab Athenæo tamen discimus lyricum versum apud Epizephyrios feliciter cultum esse; cujus Pindari et Simonidis æquales harmoniam imitabantur, fideliter, ut videtur, omnes animi affectus referentem (4). At amatoria maxime carmina Epizephyriis placebant, Sapphus et Anacreontis more composita (5), nec non et tenera quædam poesis, quam ᾠδὰς μοιχικάς Athenæus vocat (6).

Etsi hæc exiguam nobis lucem suppetunt, nec facile est ex his intelligere quænam Epizephyriorum fuerit ingenii vis, ne talia quidem documenta de Opuntiis possidemus. Bœckh tamen censet Epizephyrios carminibus atque musica præcellentes fuisse, quia ab Opuntiis aut Ozolis, suis conditoribus, hæc accepissent (7). Opuntii nempe musica et ipsi delectabantur. Erat enim Opunte (quo tempore, nescimus) Bacchylides quidam tibicen, quem Plato comicus inter sophistas numerabat (8), quemque Bœckh, vetere Opuntiorum cum Ceis amicitia fretus,

(1) V. *Fabric.-Biblioth. græc.*, 1791, II, p. 160. Cf. IV, p. 499.
(2) Ibid., II, p. 133. Cf. IV, p. 485.
(3) Strab., VI, 260.
(4) Athen., XIV, p. 625 e.
(5) Id., XIV, p. 639 a.
(6) Id., XV, p. 697 b.
(7) Bœckh, *C. I. G.*, II, p. 290, col. 2.
(8) Schol. Aristoph., *Nub.*, 331.

Bacchylidi Ceo propinquum addicit (1). Vera hæc propinquitas sit, necne, parvi interest; Opuntiorum in musicam studia nihilominus hoc declarat. Ac vicini illa studia Bœoti etiam, sine dubio, corroboraverunt; quippe qui et lyricæ poeseos et musicæ et saltationis essent amantissimi; nec deerant illis Copaidis arundines, quas apte resectas in fistulas converterent. At scenicorum ludorum Opuntii maxime, ut videtur, erant curiosi. Aristoteles nempe histrionis cujusdam opuntii, Mnasithei nomine, mentionem facit, qui haud ignobilis erat (2). Tum alium quemdam cognoscimus, Callippidem, Sophoclis æqualem, cujus amicus fuisse videtur. Qui fama profecto aliqua fruebatur, cum eum asciverint Athenienses, ut in festis Bacchi Choopotæ ludos ederet (3).

De illo autem theatri amore quo Opuntii erant insignes, documentum singulare habemus, his proximis annis haud procul a *Zeli* pago repertum, decretum scilicet dionysiacorum quorumdam artificum, qui Opunte habitabant, in Sotelis cujusdam ejusque conjugis Xenolæ honorem (4). Ex quo discimus Opuntios artificibus illis scenicis haud caruisse qui Græciam percurrebant, modo hanc, modo illam urbem incolentes, et ludis deorum festa illustrantes. Opunte vero Apollinis, ut vidimus, Mercurii Musarumque solennia celebrabant illi artifices. Unde addenda est Opus civitatibus quibus erraticam his-

(1) Bœckh, *l. c.*

(2) Aristot., *Poet.*, 27, 6, ed. Didot.

(3) Neanth. Cyzicen., *Fragm. historic. græcor.*, ed. Didot, III, p. 4, n. 9.

(4) Evstratiadis, Ἀρχ. ἐφημ., Β', *discept. cit.*

trionum, forsan et poetarum, societatem tituli jam as signabant (1).

Hæc nos de Opuntiorum in litteras ac musicam studi antiqui cum scriptores, tum tituli docent. Quos videmu nullum vere litteratum hominem unquam habuisse namque inter litteratos non numerandi sunt ii qui, pos terioribus præcipue temporibus, versiculos quosdam fe cerunt, sicut Philo ille Larymnæus, cujus epitaphiun ad nos pervenit (2); sed fervidum poeseos cantusque e scenicorum ludorum amorem apud universam genten extitisse comperimus, si quidem documenta, quæ pau cissima servata sunt, recte interpretamur.

(1) De dionysiacis artificibus, v. O. Lüders, *Die Dionysischen Künstler* Foucart, *De collegiis scenicorum artificum apud Græcos*, Lut. Paris., 1873 Hauvette-Besnault, *Bull. de corr. hellén.*, III, p. 352 sqq.; Haussoullier, ibid IV, p. 335 sqq.

(2) V. Kaibel, *Epigrammata græca ex lapidibus conlecta*, n. 493.

CAPUT IV.

DE ARTIBUS.

Ad cognoscendas Opuntiorum artes documenta quoque nobis deficiunt. Quanquam in titulo a Gn. Calpurnio Helice conscripto (1) statuæ (ἀγάλματα) memorantur, fontem populo romano, Cæsari Opuntiisque dicatum decorantes. Verum hæ ad posteriorem ætatem pertinent, neque, si salvæ essent, artis vere opuntiæ exempla nobis præberent. At illa gens rudis atque bellicosa, modo victrix, modo victa, in prœliis semper versata, otio carebat ut artes curaret. Tum deerat occasio : inopes enim Opuntii erant; unde neque venerandis diis multam pecuniam profundebant, neque magna et sumptuosa templa ædificabant, quæ statuis et anaglyphis ornare possent artifices. Quo factum est ut nullam architectorum sculptorumve scholam opuntia tellus genuerit. Sed cum ille populus nihil per se invenerit, quærere tamen quimus quo modo artes ab aliis inventas tractaverit; tum solertia quadam erant forsan præditi, ex qua, nisi in-

(1) V. supra, p. 57.

signia, propria saltem opera nata sunt, peculiarem gentis animum, peculiarem ingenii vim referentia. Quæ qualia fuerint, jam perspiciendum est.

A sculptura autem incipiamus. Paucissimæ statuæ adhuc in Opuntiorum agro inventæ sunt, paucissima anaglypha. Notemus tamen, inter opera jamdiu terra effossa, statuam Mercurii aut, secundum alios, Alexandri, quæ prope *Atalanti* quondam reperta est atque Athenas deportata, ubi nunc extat (1). Quæ, licet negligenter elaborata, haud aspernanda est; sed ad recentiorem ætatem debet referri.

Ex omnibus vero operibus quæ, hæc loca peragrantes, ipsi vidimus, unum dignum est quod doctorum virorum in se oculos convertat, anaglyphum nempe, albo marmore effictum, nec procul a *Proskyna* pago inventum; quod nunc *Sancti Georgii*, prope *Malesina*, monasterium possidet, ubi in exteriorem ecclesiæ parietem insertum fuit (2). Alt. $0^{m},50$; lat. $0^{m},57$. Pars inferior fracta est. In superiore autem parte, apparet vir ad dextram conversus, barbatus, cujus barba et crines erant, ut Kœrte censet, colorati. Qui, pallio ita indutus, ut dexter humerus dexterumque brachium nudum remaneat, baculo dextra nititur. In angulo autem anaglyphi, ΑΛΑΣΙΝΟ legitur. Et ex levi marmoris vulnere, quod deletæ litteræ locum indicare videtur, conjectare licet hoc nomen Ἀγάσινο[ς] esse interpretandum, non pro genitivo Ἀγα-

(1) V. J. M. Roulez, *Gazette archéologique*, II, p. 82-86, tab. 22 et 23, 2.

(2) V. Kœrte, *Die antiken Sculpturen aus Bœotien*, in *Mitth. d. d. arch. Inst. in Athen*, III, p. 313, n. 7. Cf. *Mitth.*, IV, tab. XIV, n. 2, et p. 270.

σίνω habendum, ut Kœrte proponit (1). At superius marmoris latus torus paulum prominens decorat, supra quem ornamentum Kœrte depictum deprehendere sibi videtur, quod nos minime animadvertimus.

Hoc autem fragmentum quinti seculi sculpturæ specimen est insigne, et, quanquam ex ignobilis artificis manibus evasit, non sine subtili quodam artis sensu fuit informatum. Quare, si opuntius erat sculptor (quod a veritate minime abhorret), magna pars laudis ad Opuntios redundat. Inferiorem vero partem facile mente restitueris, si in memoriam revocaveris simile prope, sed majus, anaglyphum, quod circa *Rhomaïcò*, haud procul a vetere Minyarum Orchomeno, jamdiu repertum est (2). Sicut ergo in illo marmore, vir in nostro repræsentatus pedes complicitos sine dubio habebat; forsan et ad hunc canis placide sedens caput attollebat. Quidquid id est, quietus hic et serenus habitus cum imagine defuncti mire convenit : utrumque enim monumentum ad mortem pertinet. Sic Athenienses senes, sic otiosi cives in foro stabant, jam deficiente die, quoties, diurnis negotiis liberi, inter se garruli, more cicadarum, disserebant. Ita in sepulcris ars vitam apud Græcos exprimere solebat, minime vero vitæ alacritatem ac tumultum, sed pacem illam tanquam vespertinam quæ diurnum motum sequitur, quæque est a vita quasi ad mortem transitus.

(1) V. *Bull. de corr. hellén.*, II, p. 588, n. 7, tab. XXVI, n. 20.

(2) V. Kœrte, *Mitth. d. d. arch. Inst. in Athen*, III, p. 315, n. 8. Cf. comparationem hujus anaglyphi quam fecit Heuzey cum alio anaglypho ab ipso prope veterem Pharsalum reperto, *Journal des Savants*, 1868, p. 456, in nota.

In aliud quoddam incidimus opus, dignum quod cum proximo compararetur, in virginis nempe statuam circum *Atalanti* repertam; quam in urbis Δημαρχία conspeximus. Alt. 1m,10. Ex albo pentelico marmore facta est. Stat autem virgo in humili ac rotunda basi, atque amplam tunicam gerit, in dextero humero infibulatam, ita ut sinistra mamma sinisterque humerus appareant; ab sinistro brachio pendet pallium; crines vero, media fronte divisi, secundum cervicem in unum coeunt; tum alii torti ex utraque parte malarum in pectus redeunt ac vultum eleganter decorant. Caput a trunco revulsum est; dexterum brachium, manus sinistra vestisque fragmentum desunt. Quæ statua, etsi anaglyphum non æquat supra descriptum, tamen haud mediocris est. Quid autem significet, difficile est judicare. Ad medium quarti a. C. n. seculi videtur esse referenda.

Præter hæc, etiam memoremus, in Δημαρχία urbis *Atalanti*, juvenis thoracem atque caput, satis diligenter elaboratum, sed ad recentiora tempora pertinens; cujus in fronte foveæ tenues excavatæ coronam extitisse declarant (alt. 0m,48); tum commune anaglyphum Herculem referens (alt. 0m,55); tum exiguam aram aut basim bucraniis ac frondibus ornatam (alt. 0m,35); tum, in *Sancti Georgii* monasterio, haud procul ab Agasini anaglypho, aliud anaglyphum in quo adolescens quidam apparet, imberbis, seminudus, porcum ferens quem ad aram foliis coronatam portat. Ante hunc autem eques occurrit, qui, sublata dextra, habenas sinistra tenet; cui palliam humeris involitat, pedesque soccis sunt calceati. Ætatem parum antiquam genus declarat;

ubi repertum hoc marmor fuerit, incertum (alt. $0^m,31$; lat. 0^m, 33) (1). Quod opus sive inter anathemata numerandum est deo cuidam equiti consecrata, sive inter funebria illa monumenta quæ in Bœotia atque Thracia inveniuntur, quæque defunctum, heroem factum, equitantem repræsentant.

Omnia igitur hæc, quanquam artem vere opuntiam minime denotant, denunciant saltem Opuntiorum subtile ingenium. Sic tradita ab externis artificibus exempla callide interpretabantur, haud inventores quidem, sed imitatores nequaquam imperiti.

Toreuticen quoque Opuntii exercuisse videntur, ac nonnulla ahenea monumenta ex illorum agro effossa fuerunt. Inter quæ referamus bellum quoddam tunicatæ feminæ signum, quod nunc Athenis in Archæologicæ Societatis museo videre est, quodque Pottier descripsit (2). A quo quatuor etiam alia memorantur ahenea opera, in opuntia regione inventa, quæ museum idem possidet.

Vasorum autem major est numerus, et, quanquam multa ex regionibus externis fuerunt forsan importata, ab ipsis Opuntiis multa fabricata esse constat. Nempe in pluribus locis reperiuntur (3), ac præcipue circa *Livanatais* et *Sancti Ioannis Theologi* sacellum, quod, ut diximus, ad Halarum ruinas ædificatum est.

Longum sit omnia vasa describere quæ apud indige-

(1) V. *Mitth. d. d. arch. Inst. in Athen*, III, p. 381, n. 146. Cf. ibid., IV, tab. XVII, 2.

(2) *Bull. de corr. hellén.*, IV, p. 192, tab. II.

(3) V. ibid., III, p. 220.

nas invenimus, quæque aliqua nobis animadversione digna visa sunt. Quorum pleraque rubra cum nigris figuris erant, et modo orgia bacchica, modo convivia, compotationes repræsentabant, communia nempe spectacula atque in vasis sæpissime occurrentia. Nihil vero deprehendimus quod veteres Opuntiorum fabulas referret.

Inter vasa autem picturis carentia, nigrum scyphum notavimus, de quo mentio jam facta est (1) (alt. $0^{m},060$; oris diam. $0^{m},120$). In quo hæc leguntur :

Καλὸ(ς) Παντέλεος, ἃ ποτήρια καλά.

De qua tituli lectione infra disputabimus. Quod ad vas attinet, in sepulcro prope *Livanatais* inventum est. Kœrte autem conjicit scyphum hunc non opuntium esse (2), sed in Opuntios fuisse importatum ac titulo prius munitum quam importaretur. Qui conjecturis nimium indulgere videtur. Quanquam enim certe non scimus utrum hoc vas opuntii cujusdam artificis opus fuerit, necne, tamen nihil demonstrat importatum fuisse, neque, etiamsi fuisset, titulum alias atque in Opuntiis esse incisum. Ceterum, si signum ⊟ exceperis, quod in galaxidiano titulo non occurrit, sed antea forsan existebat, cum Opuntiorum al-

(1) V. *supra*, p. 79 sqq.
(2) *Mitth. d. d. arch. Inst. in Athen*, IV, p. 271, n. 1.

phabeto hujus monumenti alphabetum mire congruit.

Nunc ad tituli lectionem sensumque veniamus. In quo posteriora verba minime obscura sunt; priora vero, quid significent, dubitari potest. Namque aut pro nominativis, aut pro genitivis haberi queunt; tum nihil obstat quin vocabulum καλο, a quo titulus incipit, καλ. interpreteris. Unde quatuor lectiones æque admitti posse videntur :

καλὸ(ς) Παντέλεος
καλ(ὸς) Παντέλεος
καλοῦ Παντέλεος
καλ(οῦ) Παντέλεος

Quarum tertiam et quartam facile rejiciamus. Quanquam forma καλο pro καλου, littera ο diphthongi ου locum obtinente, nihil habet insolitum, et genitivus Παντέλεος, e nominativo Παντέλης derivatus, nulla nos admiratione afficit; sed difficile est tituli sensum intelligere, si genitivos in nominativorum locum supposueris. Quam enim genitivi significationem habeant, aut quo vinculo cum ceteris verbis vinciantur? At nominativi contra simplicem tibi sensum suppetunt, cum comparationem inducant inter duas res pariter mirabiles, pariter dignas quæ laudentur, Panteleum nempe et pocula quæ convivis suis offert. Παντέλεος autem nomen apud Stobæum occurrit (1).

Restat ut e lectionibus καλό(ς) atque καλ(ός) statuamus utra sit potius probanda. Quo tempore autem titulum

(1) *Florileg.*, VII, 62.

hunc primum edidimus (1), credidimus in vocabulo κα λ., punctum quod λ sequitur minime pro ο duci posse, cum cetera ο clarius scripta essent, quam ut discus post καλ figuratus cum ο confunderetur. Sed hic quoque, sicut in interpretando signo Θ, considerandum est quæ sit tituli natura : qui cum imperita manu in exteriore vasis parte incisus sit, eamdem scripturæ æqualitatem præbere nullo modo potest atque titulus in duriore materia delineatus. Nihil igitur mirum si primum illud ο a ceteris forma paulum abhorret.

At σ omissum fuit; quod negligentiæ, non consilio tribuendum est. Consilium contra manifesto arguat duarum litterarum ος omissio et puncti additio. In similibus autem titulis, raro fit ut de industria litteræ subtrahantur.

Postremo, si καλό(ς) admiseris, versum deprehendes, quem lectio καλ(ός) perspiciendi facultatem tibi minime offert. Nam titulus ita scandi potest :

– – – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡

Verborum etiam καλό(ς), καλά repetitio ipsaque sententia et Pantelei cum poculis comparatio, nisi legitimum versum denotant, versus saltem imaginem et quasi poeticam voluntatem indicare videntur (2).


Quidquid id est, titulus sensum haud obscurum præ-

(1) *Bull. de corr. hellén.*, II, p. 588, n. 1.

(2) De versibus quibus pes unus deest, ut hexametrum absolvant, v. titulum quem in insula Samo transcripsimus : Χηραμύης μ'ἀνέθ[η]κ[ε]ν τῆρηι ἄγαλμα, *Bull. de corr. hellén.*, IV, p. 485.

bet. Inter amatorios enim titulos est numerandus, quos in vasis sæpe offendimus; quorum naturam epithetum καλός plerumque denunciat (1). Satur, sine dubio, conviva, cum Panteleum, delicias suas, laudare vellet, poculum suum hoc versiculo decoravit, et amicum apud quem cœnabat amicique vinum pariter prædicavit (2).

Aliud autem vas memoremus, pateram nempe, prope *Livanatais* quoque repertam (alt. 0^{m},090; oris diam. 0^{m},170); in qua perspicitur



Quod verbum sive Θεοί sive Θεῶι significare potest (3). Forsan hæc patera cuidam deo fuerat consecrata (4).

Nunc nobis, jam ad finem properantibus, pauca dicenda sunt de arte quadam in qua Opuntii aliquam laudem obtinuere, de fictilium nempe figurarum arte, quæ in illa regione satis floruisse videtur. Quanquam difficile est, cum in ipsa Græcia ἀρχαιοκαπήλους interrogas, aut cum in europensibus museis indices consulis, scire quænam figuræ vere sint opuntiæ, quænam e vicinis Opuntis regionibus proveniant. Multæ enim Tanagræ assig-

(1) V. O. Jahn, *Beschreibung der Vasensammlung König Ludwigs*, Introd., p. CXXI sqq.

(2) In hoc titulo, verba ἆ ποτήρια καλά eamdem nobis significationem habere videntur atque ἡδὺς ὁ οἶνος, καλὸς οἶνος, quæ in quibusdam titulis occurrunt. V. O. Jahn, *op. cit.*, Introd., p. CXII, CXXV, n. 928.

(3) V. *Bull. de corr. hellén.*, II, p. 588, n. 2.

(4) O. Jahn, *op. cit.*, Introd., p. CXXX.

nantur, quoniam Tanagræ (*Skimatari*) multæ his proximis annis repertæ sunt atque ab hominibus antiquarum rerum peritis magnopere fuerunt laudatæ. Opuntii tamen suas habent fictiles figuras, quarum maxima pars prope *Livanatais* et *Sancti Ioannis Theologi* sacellum effoditur.

Ex iis autem plures alio loco descripsimus, apud paganos a nobis inventas (1); tum indicavimus qua materia fictæ essent, quibus artificiis elaboratæ, etc. Quæ nunc omittentes, hoc solum notemus, illarum figurarum genus fere antiquissimum esse.

Inter quas nulla prope ex illis repræsentationibus offenditur, quæ, sicut figuræ ad Tanagram effossæ, recentiores ætates referunt; neque feminæ occurrunt amplis vestibus indutæ flabellumque manu gerentes, neque ancillæ ad macellum euntes, neque petasatæ ambulatrices, neque pistores panem conficientes, neque satyri nymphas humeris portantes, etc. Paucas ex illis imaginibus, quibus quotidianos præteritorum temporum usus perspicimus et antiquitatem quasi ad vivum expressam deprehendimus, sive *Livanatais* nobis sive *Sanctus Ioannes Theologus* offert. Sed ars opuntia, haudquaquam Tanagræorum arti comparanda (nulla enim ex iis figuris supremum manus laborem experta est), minorem quoque habet inveniendi vim ac facultatem. Verum gravitas

(1) *Bull. de corr. hellén.*, III, p. 213-221. Cf. J. Martha, *Catalogue des figurines en terre cuite du musée de la Société archéologique d'Athènes*, p. 95-99, tab. VII, VIII, 2; *Catalogue de la collection d'antiquités grecques de M. O. Rayet*, Parisiis, 1879, p. 9-11. V. et alias Opuntiorum fictiles figuras in catalogo sylloges Bammeville, nuperrime venditæ (secundum april. 1881), n. 150, 160. Nonnullas etiam ex illis figuris, in museum Berolinense modo translatas, memorat *Arch. Zeit.*, XXXVIII, 1880, p. 39.

ac severitas aliqua in his monumentis animadvertitur, tanquam ex religioso quodam sensu nata. Inter enim typos usitatissimos, dea sedens reperitur, cum crinibus in fronte divisis, et capite alta mitra, unde velum pendet, cooperto, et altera manu pectori applicata. Cujus austeritatem facile intelliges, si in tabula II mediam figuram (n. 2) consideraveris (1). Quæ, etsi anteriorem capitis pectorisque partem tantum ostendit, tamen cum figuris totum corpus repræsentantibus jure comparari potest; idem enim cultus eam decorat, eadem tanquam religiosa serenitas insignit. Ex eubœicis autem figuris ab utroque latere expressis (n. 1, 3), videre est quantum ars Eubœensium Opuntiorum arte fuerit perfectior. In his enim duabus figuris, theatrales personas exhibentibus, conatus est artifex tragicos sensus effingere, ac senilem vultum (n. 3) perita manu sculpsit, os immodice aperuit, supercilia apte contraxit; tum in feminea quoque facie (n. 1) dolorem expressisse videtur et eadem manus felicitate materiam subegit (2). At fictiles Opuntiorum figuræ talem perfectionem nunquam præ se ferunt, sed inelegantes plerumque rudesque sunt imagines, in quibus pia quædam animi voluntas apparet; nec multum a vero abhorreamus, si contendamus maximam illarum figurarum partem deos, aut potius deas (pleræque enim feminas exprimunt) repræsentare (3).

(1) Hæc tabula et ea quæ sequitur, cum amicissimi Martha atque editoris consensu, depromptæ sunt e *Catalogue des figurines en terre cuite du musée de la Société archéologique d'Athènes*.

(2) V. J. Martha, *Catalogue*, etc., n. 646, 647.

(3) V. varias dearum figuras, *Catalogue de la collection d'antiquités grec-*

Sunt tamen aliæ ad deos minime pertinentes : inter quas numerandæ sunt ancillæ amphoram in capite ferentes, caryatides laxis tunicis vestitæ. Nec desunt figuræ deformes, sileni peni immenso præditi, neque animalia, aves, oves, canes, testudines, etc.

Sed una inter omnes figura digna est quæ doctorum virorum in se oculos convertat, adolescens scilicet pallio vestitus negligenter in humeros rejecto, diademate coronatus, puniceo colore illitus; qui sinistra lyram aut leporem aut gallum gerit, dextra vero modo nihil, modo peram sustinet (1). Quæ figura, etsi ad Tanagram ac Thespias (*Erimo-Castro*) sæpe occurrit, sæpius circa *Livanatais* et *Sancti Ioannis Theologi* sacellum offenditur; unde propria Opuntiorum videtur extitisse (2). Quisnam autem fuerit hic adolescens, quid significaverit, jamdiu quæsitum est. Credidit eum Rayet deum Agonem aut Ἑρμῆν Ἐναγώνιον effingere (3). Sed hæc conjectura a Lenormant rejecta est, qui contendit adolescentem gallo instructum Ganymedis imaginem repræsentare (4). Quam explicationem nuper admisit ipse Rayet (5).

ques de M. O. Rayet, *l. c.* Venerem præcipue effinxisse videntur Opuntii. Tum notanda est figura ξοάνου formam exhibens (n. 31), quam unicam Rayet declarat, atque alia (n. 36), in qua Pherephattæ imaginem deprehendere sibi videtur.

(1) V. tabulam III.

(2) V. J. Martha, *Catalogue*, etc., in quo maxima pars opuntiarum figurarum hunc typum repræsentant.

(3) *Gazette des Beaux-Arts*, 1875, p. 556. De Agone (quæ conjectura probabilior quam altera videtur), v. Pausan., V, 20, 3, et 26, 3. Sed ἁλτῆρας deo Pausanias tribuit, non gallum, nec lyram, nec leporem.

(4) *Gazette archéologique*, 1875, p. 89 sqq., tab. 24.

(5) *Catalogue de la collection*, etc., n. 40.

Jure enim censet Lenormant myrteam coronam quæ juvenis caput plerumque decorat, Ganymedem indicare. Quod vero ad gallum attinet, Ganymedi sæpe ab antiquis artificibus assignatur; sed denunciat quoque illos amores quibus Græci indulgere solebant. Eamdem autem significationem lepus in tabula nostra figuratus (1) sine dubio habet (2).

Hæc de artibus apud Opuntios disserere voluimus. E quibus sane apparet illam gentem nunquam egregie artes coluisse, sed, cum bellicoso esset animo totaque ad prœlia agrestisque vitæ labores conversa, ab aliqua tamen pulchrarum rerum amore atque admiratione haud abhorruisse.

(1) Cf. catalogum sylloges Bammeville, n. 150.

(2) V. Fr. Lenormant, *Monographie de la voie sacrée éleusinienne*, I, p. 348 sqq. — Quid significet lyra, parum liquet. Forsan Mercurium indicat, lyræ inventorem. V. Pausan., V, 14, 8; VIII, 17, 5. Sed crediderimus potius eam ad quotidianos epheborum usus esse referendam. Unde omnes illas figuras, sive gallum gerunt, sive leporem, sive lyram, inter amatorias imagines pariter sunt numerandæ.

CONCLUSIO.

Finem propositum attigimus, id est, quæ de Locris Opuntiis atque Epicnemidiis erant dicenda, omnia prope diximus. Nam principio, veterum scriptorum ac monumentorum testimoniis freti, illius gentis historiam narravimus usque ad id tempus quo propriam historiam jam non habet; deinde, a præteritis ad præsentia transeuntes, inquisivimus quid de antiquis illis civitatibus superesset, quarum res evolveramus, ac mente peragravimus totam Orientalium Locrorum regionem, ruinas animadvertentes et, scriptorum titulòrumque auxilio, cujusque loci topographiam explanare tentantes. Tum, quod fuerit populi ingenium, quis animus, scrutati sumus, et sacra, civitatem, litteras, artes consideravimus. Sic in duas partes divisa est nostra disceptatio, unam factis, alteram judiciis addictam.

Quid igitur nunc de Opuntiis est cogitandum, aut quibus verbis nostram de his opinionem includamus? Quamvis, ut diximus, primo ordine nunquam inclaruerint, locum tamen in universæ Græciæ historia tenuerunt, quod minime est infitiandum. Venerandæ enim eorum fabulæ, quæ, ad renovationem mundi pertinentes,

ab omnibus Græcis pariter erant observatæ, leges nobis male cognitæ, sed, quantum perspicere possumus, mira æquitate ac modestia insignes; tum belli palæstræque studium, lyricæ poeseos musicæque amor; tum artes tanquam patriæ, quarum opera, etsi rarissima ad nos pervenerunt, Opuntiorum tamen indolem ac solertiam declarant, omnia hæc efficiunt ut parva illa gens a vicinis facile discerni possit, et, post Athenienses, quorum instituta, litteræ, artes in omnem septentrionalem Græciam splendorem quemdam diffuderunt, inter Bœotos, Phocenses, Thessalos, Ætolos, Acarnanes, Ozolas, digna sit quæ ad se convertat eorum oculos, qui extinctorum populorum memoriam revocare aggrediuntur.

Cum igitur inter ceteras septentrionalis Græciæ gentes hic ordo Opuntiis sit assignandus, quem ordinem inter tres Locrorum quasi ramos illis assignabimus? Difficilis est Opuntiorum cum Epizephyriis comparatio. Quanquam, cum Ozolarum, forsan et Opuntiorum essent coloni, aliquam sine dubio cum his communitatem habuerunt. Cujus exemplum supra in medium protulimus, cum Ajacem ab utrisque cultum esse memoravimus (1). Sed verisimile est illos Græcos, in Italiam transportatos, mores atque ingenium cito mutavisse, et ex iis quæ de rebus Epizephyriorum nobis tradita sunt, conjicere licet eos Magnæ Græciæ humanitatis cultusque brevi participes fuisse. Nempe unam ex illis gentibus informavere, quæ in Italia meridionali ac Sicilia tum floruerunt, Græcia quidem oriundæ, græcæ religione, moribus, inge-

(1) V. supra, p. 10, 57.

nio, verum ea quoque mollitie præditæ quæ ex opibus nascitur, ea vero asperitate animi ac virtute carentes, quam egestas duraque necessitas parturiunt.

Cum Ozolis autem aptius Opuntii comparari possunt. Quippe quos Opuntiorum colonos fuisse constet et Græciam habitavisse et cum Opuntiis continuum prope commercium retinuisse. Hi tamen, si Thucydidi credimus, a polita Opuntiorum civitate multum abhorruerunt. Contendit enim Thucydides Ozolas, etiam peloponnesiaci belli tempore, nihil nisi latrones extitisse, semperque armatos in montibus vitam rapinis exercuisse (1). Nec immerito. Nam pastores plerique in ovium custodia caseique confectione versabantur, neque alias fere fortunas possidebant, nisi greges et stabula. Unde rudes incultique animi. At Opuntiis multo mens urbanior; neque Opuntiorum nepotes majorum indolis etiam nunc immemores videntur; apud quos saltatio cantusque perduraverunt, perduravit et veterum fabularum memoria, haud perpetua certe rerum traditione, sed, cum pueri ex ludi magistro Opuntiorum famam didecerint, illos amare, illos venerari assuescunt, multique occurrunt quibus, in honorem laudis præteritæ, Patrocli nomen impositum est.

(1) Thuc., I, 5, 3.

FINIS.

INDEX CAPITUM

INDEX TABULARUM

INDEX ALPHABETICUS

I. — *Nomina geographica.*

N. B. — Recentioris ætatis nomina gracilibus litteris scripta sunt.

(1) E variis locis in quibus nomina *Locri* atque *Opuntii* occurrunt, tantum præcipua indicavimus.

II. — *Nomina deorum, heroum, virorum atque feminarum.*

III. — *Nomina scriptorum veterum in opere laudatorum.*

IV. — *Nomina ac verba notabilia.*

VIDI AC PERLEGI :


Lutetiæ Paris., in Sorbona, a. d. IV non. mai. an. MDCCCLXXXI, Facult. Litter. in Acad. Paris. decanus,

H. WALLON.

TYPIS MANDETUR :

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.



LOCRORUM
OPUNTIORUM ET EPICNEMIDIORUM
REGIO

ad 1:150.000 expressa

Urbium antiquarum nomina nigra linea signata sunt

Apud E. Thorin, editorem.


Sculpsit et impressit Erhard



1



2



3

Ernest Thorin. Editor

Heliog. Dujardin



Ernest Thorin. Editor

Helio. Dujardin